

V c  
3849









CONSTANTIUS PEREGRINVS  
CASTIGATVS

seu

RELECTIO

ITINERIS

QUADRIMESTRIS

BVQVOI.

Authore

BERCHTOLDO à RAVCHENSTEIN.



B R U G G Æ

Apud HENRICVM LEPORARIVM.

A N N O

M. DC. XXI.



CONSTANTINVS PETERINVS  
CASTIGLIVS

RELECTIO

ITINERIS

QUADRIMESTRIS

B. V. G. T. O. L.

Auctore

THEOPHILVS PETERINVS



ROGAT

APUD HENRICVM LEOPOLDVM

M. DC. XXI

fi  
qu  
qu  
sp  
in







*Ad Lectorem.*



Væ refutanda mihi in Peregrino visa sunt, ea ipsius verbis recensere volui, vti palam esset, me antiqua fide scribere, ac nihil fingere, quod responderem, satis enim est quod Peregrinus finxerit, cui responderetur. Numeros hominis innocentiores meis verbis per-

A 2 strin-



*Ad Lectorem.*

strinxi, vt lector totum eius libel-  
lum pernosceret, neue crederet à  
me quædam omiffa, quod Pere-  
grino faciendum fuiffet; Imò si  
omnia omiffiffet, nihil amiffiffet.  
Bruggæ Anno Christi 1621. Iu-  
nij  $\frac{17}{7}$ .

CON.



CONSTANTIUS PEREGRINVS

CASTIGATVS

feu

RELECTIO

ITINERIS QUADRIMESTRIS

BUQUOIJ

**B** Rodijt non ita pridem Bruñæ primùm, tum  
Viennæ Austriæ libellus nescio cuius perso-  
nati bellatoris, alieno nomine tecti, Buquoij  
quadrimestre iter progressusque inscriptus,  
Bauarico nomini & exercitui Catholici fœderis iniurio-  
sus, omnia ferme Buquoio, omnia suæ genti vindicans,  
vt quoniam ipsi cuncta non fecere armis, ipse calamo fa-  
ceret, ventosa lingua egregius miles, Constantium se no-  
minat, & identidem fallax per Iter improuidus labitur,  
nomine sibi ipsi aduerso.

Ecquis iste Constantius? cùm paucos ante menses  
prælium Pragense in lucem daret, Candidum Eblanum  
fese indigitauit, nunc repente instar Morphei os hume-  
rosque alios gerens Constantius dicitur noua appellatio-  
ne, veteri oris profluuiio. Frustra quidem laruam præten-  
dere nisus, indicio suo proditur forex. Non est lac lacti  
tam simile, quàm Candidus Constantio, quid dico simi-  
lis?

B

lis?



## Constantius Peregrinus

lis? Candidus Constantius est, & Constantius Candidus? Idem ingenium, idem partium studium, idem orationis filum, eadem dictio eadem verba, eadem ineptia. Præterea uti verè Constantius sit & habeatur, etiam ipsius narratio sibi apprimè constat; nam in editione Brunnensi alia narrat, alia in Viennensi: habemus reum ipsum confidentem, sic enim in fine libelli Viennensis loquitur. *Hæc secunda editio Viennensis, editioni primæ Brunnensi præferenda est, utpote ab ipso auctore plenius informato recognita.* Bellè & constanter mi Constanti: Oro te, cur præferenda est Viennensis editio? an quia verior? falsa ergo ex parte Brunnensis; & quia tu Constantius es, falsumque Brunnæ scripsisti, constanter Constantio credam, te quoque falsa Viennæ scripsisse. Si Viennæ plenius, ut loqueris, informatus es, ergo non plenè informatus Brunnæ. temerè scripsisti, & & quia hîc fefellisti, cur credam te Viennæ non fefellisse? Sed quid tu de informatione infis? non egebas; nam oculo teste prope omnia sciebas; ais enim N. I. hunc in modum. *Et certè ferè nihil scribam, cuius non fuerim oculatus testis.* Cùm ergo tuus oculus præsens caligârit, sed coram ferme omnia viderit, quid alienos oculos sollicitasti, ut tuum videntem illuminarent, & te plenius informarent? Eodem loco addis, *Libenter quidquid fuerit mihi exploratum proponam.* Quæro quando tibi omnia explorata fuerint? an Brunnæ? ecquid ergo explorata emendasti Viennæ? Si Viennæ primùm explo-



explorata omnia fuere; ergo Brunnæ etiam ea prompsisti, quæ nec tibi explorata erant, nec ab oculis tuis visa. Sed venia danda est, si in testium inopia affectus loquatur.

Verùm Constantij nomen infaustiore omine susceptum, compensat Peregrini cognomen, quod deest alteri; verissimè enim Peregrinus est, & id toto libro Euclidiana demonstratione comprobatur: fuerit in bello, fuerit in acie, qua Bohemia concidit; interea tamen etiam Peregrinus fuit, nec vidit, quæ vidit, nec audiuit, quæ audiuit, omnia illi peregrina, & quod caput est, veritas quoque; sed peregrinus non solum, verùm quod eius famæ illustrius est, etiam poëta. ubique versus, ubique Pegasi spuma, & temulenti Apollinis vomitus; carminum farrago, non satis digna historico, libellum eius implet: sed placeat color, si malè delineata imago displicet. Liceret & nobis poëtas describere, si nugari liberet, non vacat esse tam disertis, qui Musas colimus seueriores.

Quia verò mihi Peregrinus iter designauit, animus est insequendi, & pede volante vestigia premere, ea tamen lege, uti quoties nutat, mihi fas sit, verberare excitare. Debeo hoc Catholico fœderi Catholicus, debeo Bauariæ Bauarus, debeo meo Principi cliens. Protestor verò principio nihil me dedita opera scripturum quod ignominia sit aut Buquoio, aut ei quem duxit exercitui. Vterque laudem egregiam meruit, & meruisset etiam scriptor suam,



si quam laudem alijs dedit, alijs non ademisset. Panegyrista Monacensis eum, quem celebrandum susceperat, haud inuidioso encomio extulit. Laudauit enim vnum ex omnibus, nullo ex omnibus vel tenui morfiuncula læso, neque enim idem est scribere, hunc aut illum eximia præstitisse; & scribere, præter vnum hunc alios mancos aut desides confedisse. Vnius laus alterius nomini non officit: ferat quisque pro factis quam meruit gloriam. Quis vitio vertat Panegyristæ si vnum deligat & quidem militia Principem, quem laudibus ornent? quis oratorum veterum Panegyricum dixit Traiano & omnibus eius ducibus? ergone cum Plinius Traiani res bello gestas honorificentissima eloquentia laudauit, iniuriam cæteris eius ducibus, quos silentio præterijt, fecit? sed forasse in mores commisere alij panegyristæ, quorum labores solis Imperatoribus desudarunt, omissis tot inßlitis animabus, quarum dextra Imperium vel obtentum, vel defensum? summo duci summus honor tribuitur; cæterum sibi quisq; decerpat, prout à summo aut distitus aut propinquus. At, dicas, in Bohemica militia duorum exercituum duo fuere summi duces, pari ergo encomio digni erant: esto istud; sint digni pares pari encomio. quis verò Panegyristam adigat, vt vtriusque promulget? vni sua vult, vni sua debet; alter nec vultu nec beneficio notus, in ius neminem vocabit, si paribus Musis non canatur. Sunt huic sui clientes, sunt



sunt alij sui, qui operam suam alienis non vendunt; nisi cum sponte volunt.

Sed neque pares sunt qui exercitus Catholicos ductabant, nam Bauarus non genere duntaxat plurimum antestitit, sed imperio quoque, quippe in quem (nequaquam autem in Buquoium) Cæsar Ferdinandus supremam potestatem in Bohemos, quibuscum bellum gerebatur, contulerit.

Frustra igitur hincit, qui capite ornato cætera militiæ membra neglecta quiritatur, quanquam neque neglecti minores duces censendi sunt, supremo laudato, nam illi ipsi sunt, qui armis & fortibus factis supremum ad tantam claritudinem euexerunt.

Habes iam causam, Peregrine, cur Panegyrista Buquoium præterierit: sed tu non habuisti causam, ut Principem nostrum & exercitum Catholici fœderis inuidioso morfu velleres. Potest magnus esse Buquoius, uti est sine aliorum iniuria; nec ideo is altius assurget, si alios tu verbis deijcias. Ego Buquoij facta laudo, sed non tua dicta, quæ qualia sint pergam fusiùs recensere, ita quidem, ut Buquoium & eius exercitum extra telorum meorum iactum constituam; neque enim mihi in tantos bellatores bellum decretum, sed est velitatio instituta aduersus linguam tuam imprudentem, & calamum omnis ciuilibus politix ignarum.

egy-  
erat,  
num  
a læ-  
mia  
ncos  
non  
iam.  
dem  
rum  
s du-  
ono-  
s eius  
mo-  
s Im-  
abus,  
um?  
uisq;  
. At,  
fuere  
stud;  
adi-  
ebet;  
oca-  
ntes,  
sunt





Numero I. ais, eo te adductum ad scribendum, vti patrocinium veritatis susciperes, contra libellos quosdam ad veritatis inuidiam conscriptos. Ego quia quos libellos intelligas nescio, defensorem non agam, sed valde metuo parum te veritati patrocinatorum, quippe cui in ipso sinu Inuidiola aliqua tanquam canicula infideat & latratibus depugnet & tamen nescio quam innoxiam scriptionem promittis adulandique vitium frustra proscribis: foues.

Deinde non vis quenquam mirari, perfunctorium tuum, vti tu loqueris, transcursum de exercitu Bauarico: quod non desint Panegyrici, eucharistici, tum oratione libera tum ligata: nihil ego dum culpo, & omitterem etiã omnem sermonem, si Bauaros duntaxat omisisses: iam verò ne omittas, carpis subinde, & tanquam aliud faceres, tectè suggillas, quasi tui stare non possent, nisi isti prosternerentur.

N. 2. Enumeras duplicem Buquoij victoriam, quam ante tuum in castra aduentum reportauit; vtramq; & ego laudo, quia insigni Buquoij virtute partæ: posterior Dampierium quoque illustrem fecit.

N. 3. Refers à Buquoio ita percussum his victorijs hostem, vt præcipuas suas vires ei soli opponeret. Itane verò? certè præcipuo hosti præcipuæ vires opponendæ; nam quem tū præterea Bohemia & cæteræ periuræ terræ præter Buquoium habere aduersantem? Parua cum manu  
consc-



confederat Budeuitij Don Balthasar & operam potius dabat, ne damnum caperet, quàm inferret. In hybernis erant Bohemi per municipia diuisi cùm cladem acceperent; vbi cælum intepuit, campo sese rursus credidere, vt iusta castra restaurarent, non propter victorias Buquoij præteritas, sed vt infesto hosti nouum bellum mouerent.

N. 4. Videris indicare duas ab Hispano legiones in subsidium missas post illas duas victorias à te celebratas, quod vanissimum est. Nam legiones illæ non anno 20. sed 19. extrema hieme ex Italia venire; neque sanè Rex in literis ad Buquoium datis Olysippone 23. Augusti 1619. harum mentionem fecit, sed Valonum qui paucos ante menses ex Belgio profecti, in Bohemia busta inuenere, grassante per exercitum lethali lue. Lepidus verò tu interpret es, qui Regis verbum, quo Hispani amicum exprimunt, cognatum vertis; Amicum scribere debebas. Tam enim Buquoius sanguini regio propinquus, quàm tu Ioui cognatus.

N. 5. fateris tota æstate, cùm iam copijs esset auctus Buquoius ab tanto exercitu nihil profectum, debaccharis que in eos à quorum linguis Buquoius vapulauit, quasi otio, amori, & commensationibus indulfisset, belli cura seposita. Ego quod rectè defenditur non reprehendo. Multæ sæpe cessationis causæ sunt, quas etiam vulgus probaret, si sciret. Permittenda est licentia liberis sermonibus,



bus, alioqui neque tu loquereris, audiui & ego feriatam illam moram vitio verti Buquoio, sed non omnia credo, quæ audio, neq; etiam quæ lego, præsertim in tuo libello.

N. 6. Hoc certè loco tibi non multum Buquoius debet, nam eius luxum & prodigam vitam ita depingis, ut tandem tibi excidat eum aliorum iudicio cumulandis opibus idoneum non haberi.

N. 7. Scribis publico bono nimiam eius largitatem non obfuisse, sed multò maximè profuisse, de quo tecum contendere non habeo.

N. 8. Ostendis Buquoij Graueneccianam tota æstate (nempe anno insequente 1620.) moram non esse culpandam, quod mihi facile persuades, quia sine dubio prudentissimum ducem Buquoium magnæ causæ mouerunt, ne exercitum moueret, sed tanquam vigil excubaret ad defensionem Viennæ, cui imminebant hostes, & ipso digresso sine dubio obsedissent. Nulla verò tua ratio est, quam tam elegantibus verbis induis, ut tute ipse vix intelligas quid loquaris. *Sicut enim, ais, horologij rotæ non seorsim singule, sed omnes simul, horæ momenta terminant: ita exercitus Catholici variæ in varijs locis partes ex condicito simul, ut etiam factum est ferri debuerunt. Quæso qui fuere isti plures exercitus, qui constituere vnum horologium? & quæ hæ diuersæ rotæ, quæ simul horæ momenta terminant? An Buquoi rota moueri non poterat, nisi & Bauarica & Spinolana moueretur?*

Baua-



*castigatus.*

Bauarus & Spinola conquiescente Buquoio mouerunt; quorum bona pace potuisset & Buquoius castra transferre, si per hostes licuisset. Sed ex condicōto vt tu dicis iisdem in locis permansit: friuolè, nam nunquam antea conuentum erat, vt Buquoius ociosus cessaret, donec in procinctu videret alios duces. Bauarus sub initium Iulij armatus cum armato hoste ad Vlmam pacem pepigit; inde nauibus imposito milite superiorem Austriam incredibili celeritate, quam 2. Augusti ingressus erat, sexto eiusd. occupauit, impigri Ducis nomine territis indigenis, & quasi carmine dementatis, cum armatos, quos obijcere possent, haberent, & subsidium è Bohemia sperarent; imminebat enim Mansfeldius aliquot millibus stipatus. Sed prope rante & occupante omnia Bauaro tota prouincia sub iugum iuit ingenti perduellium dolore.

Atque hæc Bauari victoria captiuitate quadam Viennam liberauit: clausus enim Ither erat, circumscribebaturque Cæsaris Viennæ commorantis libertas exiguis limitibus.

Rebus omnibus ritè atque ordine perfectis animus Bauari fuit rectè Bohemiam petendi, sed quia Viennæ, vicinitas hostis periculum creabat, Buquoiusque ad congregiendum impar viribus erat, Cæsaris invitatu Princeps meus ad Buquoium suppetias efflagitantem contendit per terras omni belli iniuria foedatas, multis per inhospitum

C

iter



iter quàm famis; quàm morbi incommodis acceptis. Opera tamen precium fuit eò abiisse, nam vbi hostis eius aduentum sensit, confestim collectis vasis meticulosus in tuta profugit, insequente frustra tam nostro, quàm Cæsareo exercitu. Vis ergo versa in oppida, quæ hostis ceperat, & subactis omnibus in Bohemiam duci placuit. Ex quo liquere puto, quàm verè scribas eodem Num. *Verum Buquoius Bauarico exercitu in Austriam inferiorem inuitato, tantum hosti iniecit timorem, ut deserta statione munita, ad Bohemia defensionem seocius transferret.* Aduentus Bauari terruit; Buquoius longo iam tempore in propinquo erat, nec tamen ideo Bohemi aut timuerant, aut castra deseruerant. Fieri quidem poterat, vt Buquoium expertum bello ducem viribus Bauaricis subnixum Bohemi extimescerent, sed & solertissimus Bauariæ Dux ipse præsens, cuius ingenium orbi notum, non minorem terrorem iniecit, vtpote fat edoctis, hunc nihil inchoare, quod non profequatur.

Itaque Buquoius hoc loco gratiam Bauaro debuit, quòd ex diuturnis eum carceribus, quibus à vicino hoste coërcebatur, liberarit.

N. 9. Iter Buquoij in Bohemiam plenum difficultatibus profeceris eiusque in ducendis ordinibus peritiam, sed ingenti infamia milites eius notas. *Non potuit, ais, Buquoius edictis, minis, supplicijs, incendia prohibere; & paulò infra; rapina, scelera nefanda, & omnis impietas magno Buquoij dolore impune per nostrum exercitum grassabantur, non sine eorum piaculo ac propudio,*  
*quorum*



*quorum remedium adhibere intererat.* Hæctū, parum Buquoij  
 tui, quem laudatum ibas, memor: nam cuius magis in-  
 terest, quàm supremi ducis, operam dare, ut in exercitu  
 disciplina regatur? Dedit, inquit, diligentem operam,  
 sed uti priore numero refers, *Barbari incendiarij præuenterant iu-*  
*stitia ministros, & defuerant testes.* Explica mihi dum sodes; quid  
 vis dicere? an incendiarij præuenterunt iustitiæ ministros,  
 & seipso suspendentur? nulla ergo tua querela iustitiæ  
 neglectæ, cum ipsi rei iustitiam administrarint: an verò  
 vis dicere iustitiæ ministros ab incendiarijs suspensos? an  
 demum vis dicere, incendiarios præuertisse, hoc est pec-  
 casse prius, quàm plecti possent? egregia verò hæc tua est  
 Philosophia, puto & alibi moris esse, neminem nisi post  
 flagitium admissum supplicio afficere, nisi fortasse in Hi-  
 berna suspendantur fures, antequam furentur. Sed & cri-  
 minum testes abfuere: rectè habet; videntur ergo etiam  
 abfuisse exploratores, & ij ad quos ex militari munere per-  
 tinet in disciplinam aduertere. Cuius hæc est culpa? Non  
 ago quidem ego quemquam reum, sed ostendo tibi dun-  
 taxat, quantus in foro patronus sis. Alteram insolent-  
 iæ militaris causam adfers, Quòd Generalis capitalium  
 rerum præfectus enixè petenti Buquoio, nullus sit con-  
 cessus. Quæso te, mi Peregrine, si supremus nullus fuit,  
 non potuit alius minor tribunali præesse, & partes iudicis  
 sustinere? Non est necessarium semper summum sceptrū,  
 C 2 etiam



etiam inferior potestas insolentiam coercet, quæ in Buquoiano exercitu non defuit. Nam tute ipse numero insequente IO. scribis *Ego Buquoium non semel audiui disstrictè auditoribus (sic Quæstores vocant) mandasse, ut nulli reo parcerent, sed publici boni ac exempli amore in delinquentes animaduertent Deoq. ac reipublicæ reddenda rationis memores, multorum delicta paucorum supplicio prauertent. Ego quoque illum Tribunis ac Centurionibus idem sapissime inculcasse testis sum. Ego illum in obuios delinquentes non semel iniecisse manus proprias, ac capitis pænæ tradidisse aspexi. Ego Vallonum frequens supplicium, quod nullæ preces nulla precia reddimere possent, intuitus sum. In hac tanta Buquoij diligentia mirum est tam multa facinora impune potuisse perpetrari. Germani culpæ partem ferunt vt video; nam ais, Ego denique à Germanis Colonellis miro priuilegio liberari fontes conuictos, quos falsò ipsi dicebant è medio fuisse sublatos vidi. Debent tibi vt video non parum Germani Cæsarianarum partium Colonelli, quos pro officio, quo iustitiæ satisfaciendum fuerat in publicum mentitos fuisse scribis. Colonelli Germani fuere Iulius Henricus Dux Saxonie, Comes Nassouius, Liechtenstainius, Fürstenbergius, Otho Henricus Fuggerus, Tieffenbachius, Meckau, Lebel, fortiantur ipsimet, inter se militari more, quis aut suam aut aliorum culpam profiteri velit, profitebuntur, Peregrine, tuam. Addis & aliam iusticiæ causam: Verum quidem est, verba tua sunt, milites in socios subinde ad supplicium comprehendendos ire iussos, si minus verbo saltem opere non obtemperasse, quod*



quòd id ( ut aiebant ) non militum sed licitorum esset officium. Similitum non est, Peregrine, fontes in vincula ducere, cur lictores non constituti sunt? Quis eos Valones aut duxit aut plexit, quos Buquoium pœnis addixisse paulò antè memorabas? Si fuere qui viginti punirent, fuissent & qui in centum animaduverterent; si Valonibus gulæ frangi poterant, poterant & Germanis.

Atque nunc rogo, ais porrò, quinam à militibus reliqui sunt, qui reos Buquoio sistunt, si nullus sit capitalis Generalis prator, aut Campi ut vocant capitaneus? Quis erit exercitus, Peregrine, si nullus sit dux, nullus centurio? Quid faciat consul in vrbe vbi nulli iustitiæ ministri? constituat; si culpa non est, noxios non plecti, quod nulli sint capitalium rerum vindices, culpa aliqua erit, non subornari, qui iustitiæ operam addicant. Non est quidem meum aut ducem aut exercitum castigare, sicuti nec quenquam reprehendendi mens est; sed cum tu, Peregrine, impunem militum licentiam, describas, excusare conaris summum ducem, & tam bellè excusas, vt alio patrono egeat, futurus suspicione liber, si oratorem habuisset, qui silere potuisset.

N. 11. & 12. Buquoij impigram alacritatem per vias difficiles tormenta promouentis denarras, pugno Bauaris incusso, quod robustioribus equis diffiderent, & ex desperatione sua remitterent; quanquam quid infestiozem te



miser Bauaris, iterum militum tuorum effrænem petulantiam vehementi satyra plangis. Sed me iuuat narratiuncula tua N. 12. Ad castrum Crumouiense *Triste*, scribis, *inprimis spectaculum, tendentis supplices manus, crudeliter tamen occisi ab uno Cosacorum Buquoio offerebatur.* Rectius dixisses, Mirificum inprimis spectaculum, nam occisum supplices manus tendere, grande miraculum est, & naturæ vires superat.

N. 14. Hunc in modum scribis: *Octauo Septembris, Deo prius in Eucharistia plenus (erat Natiuitatis Deiparæ festum) in Sereniss. Bauari amplexus optatissimos irruit Buquoius, magno stipante virorum principum agmine, summo consensu quod è re esset decretum ab ijs est.* Eho, Peregrine, ierit Buquoius in amplexus Principis Bauariæ? æqualium aut maiorum est aduentantes, si dignantur, amplecti; nec Buquoius, te paulò ciuilior, suas partes nesciuit, dextram salutantis exosculatus, & inter aulicos officiosis erga Serenissimum obsequijs aulicum se professus est, non collegam. Sed tu ideo pari salutationum ceremoniâ quasi certatum fingis, vti pares exercituum duces constituas; quasi nullum Bauaro imperium Buquoiano maius fuisset, quod falsum est; nam cum Serenissimus Monachij cum ipso Cæsare aduersus rebelles certis legibus in fœdus iuit, in cæteris summus militiæ dux in Austrios & Bohemos nominatus est, & quidem adeò disertè, vt cuidam quæstionem mouenti, an si ferente rerum cursu Baua-



si Bauaricus & Buquoianus Exercitus iungerentur eadem  
 summa potestas Bauaro illibata mansura esset, responsum  
 sit palàm (vta verbis tùm vsitatis) Hoc per se intelligi; ita  
 conuentum præsentibus grauiissimis viris Cardinale Zol-  
 lerano, Episcopo Lauantino, Comite ab Eggenberg, Co-  
 mite Ioanne Zollerano supremo aulae præfecto, & Do-  
 ctore Guilielmo Iochero à secretis Bauaro consilijs. atque  
 hanc Principis auctoritatem non nesciuit Buquoius ipse,  
 qui imperia non solùm à Bauaro accepit, verùm etiam po-  
 stulauit: Bauarus contra ita moderatè potestate vsus est, ac  
 si non haberet; inuitabátque potiùs ad ea quæ volebat,  
 quàm iubebat.

Sed pergis, *Symbolum nocturnum eo die à Bauaro dari Buquoius  
 enixissimè contendit, & tandem cum maxima difficultate exorauit. Aie-  
 bat enim Bauarus Casaris exercitui se non venisse ducem sed adiutorem,  
 & certè non secus ac dixit, quàm diu simul fuerunt se gessit.* Cun-  
 ctatus est, Peregrine, Serenissimus tesseram nominare,  
 modestiæ & ciuilitatis causa, ne mox aut auidè aut super-  
 bè videretur potestate vti apud eum ducem, quem ex cla-  
 ritudine gestorum æstimabat. Certè Buquoium Prin-  
 ceps sicut nec parem vnquam putauit, ita illi nec parem  
 honorem exhibuit; exhibuit tamen semper eum, quem  
 dignitas principalis permisit, & Buquoius præ cæteris me-  
 ruit. Quare mi Peregrine, adulari desine, & si reddere  
 magnum Buquoium vis, veras virtutes, quas multas ha-  
 bet,



bet, deprædica; neque grauius accipe, si princeps Cæsari, regique Hispaniæ sanguine iunctus inferiores fasces suis non adæquet. Parcè imperio uti, non est imperium non habere.

N. 15. Spectat Dux Bauariæ, miraturque exercitum Buquoianum, maridi licet fuerint equi ob pabuli in vastata terra inopiam; Bauaricus exercitus magis visendus erat, utpote vigilijs & itineribus minimè fractus, inuiso & procul remoto hoste. Quasi verò, mi Peregrine, Bauari equites hastiludijs duntaxat per eos dies operam dedissent. Septem ipsos dies impransi & incoenati per impeditissimas vias summa cum molestia Freistadio iter fecere. Non aliud tempus magis nostras copias afflixit. Ut taceam Bauaricum exercitum iam tum peragrassè Sueuiam, Bauariam, superiorem Austriam, & Bohemiæ extrema. An verò tu seriò putas inuisum fuisse Bauarishostem? tota terra illis hostilis erat; neque enim illam, ut amicam occuparunt, certò passuri, quod fecere, si valentiores Austrij fuissent.

N. 16. Hornum expugnatur Buquoij armis, institurque profectio vtriusque exercitus in Bohemiam. Breui compendio, Peregrine, exercitus hos ex Austria in Bohemiam ducis. Multa interim loca recepta, & expulsus tota ditione hostis, aliæque à Bauaro præstita, sed à te prætermissa.

N. N. 17.



N. N. 17. & 18. 19. Bauarus Budnam expugnat, militique saluis ciuium corporibus diripiendam permittit: Buquoius Brachadizum coronâ occupat, insigni incolarum clade, quam equidem humanæ fortis memor summa vi auertere inter insanientes milites non potuit omnis ætas, omnis sexus perijt, rebellium cæteris documento futuri.

N. N. 20. 21. 22. 23. 24. 25. Pisca valido præsidio, animis que tumens ab utroque exercitu obsessa funestum, & par cum Brachadizio fatum subiit; nulli ab irato milite parsum; ferro mactati omnes, fontes, infontes; tanti pertinacia stetit, quam equidem ponere decreuerant, acturi cum Duce Bauariæ; sed alata militum virtus feros conatus præuertit, occupando mœnia, quæ miseri seriùs tradere volebant. Neque vlla ducum clementia perituris profuit; Nec voce aut fulgente Ducum ferro absterritæ furentes turbæ.

In reliquis numeris vsque ad 33. Peregrinus in laudes Buquoij peregrinatur, quem ideo nequaquam insector. Vireffet, si laudaret absque aliorum obtrectatione.

N. 33. *Post diem 8. Octobris Sereniss. Bauaria Ducem, ne domum rediret, retinuisse, arduum negotium fuit. Non enim solus exercitus, sed familia illius prope vniuersa morbo tentari cæpit.*

Nimis manifestus lior tuus hîc, Peregrine, tralucet: quando, per tuum Genium, quando Bauarus patriam

D

respe-



respectare cœpit? post diem 8. inquis; arbitror ego' vigesimum quintum Nouembris etiam illuxisse post octauum Octobris. Cogitatum primùm est de discesu circa 26. Octobris, & quidem longè alijs de causis quàm Peregrinus comminiscatur. Serenissimo semper mens fuit hostes insequi, & omnem pugnandi occasionem captare, vt toti exercitui compertum fuit; ideo enim deserta prouincia sua & postposita quiete, castrensiū incommodorum maximè per Bohemiam tot cladibus laceram, non ignarus, vnius reipublicæ causa lubens volens arma sumpsit, non per legatum, sed per seipsum rebellibus illaturus, ita vt quem delicia pacis retinere domi non poterant, reuocare in tuta minimè potuerint. Sciebat molestias, antequam pateretur.

Sed non leuia momenta, vt in Prouinciam suam rediret, impellere poterant; nisi animus eius omni fortunæ varietate superior fuisset. Primò enim, qui à consilijs erant, viri non heri nati, sed maturi, ac, militia potissimùm, multarum rerum vsu pollentes, non paucorum argumentorum pondere secessionem à Buquoio, suasere, quibus si paruisset, reprehendi prudenter non poterat, prudentum consilia secutus: sed agitauit Deus animum Victoriæ præfagum, neque credidit in tam dubio apice rem versari, vt sola salus esset in recessu.

Deinde, non illi solùm, qui in consilium Principis coibant,



coibant, sed ipsum militiae genus Buquoio usurpatum fastidientem Principem commouere poterat, ut desertam militiam penates cogitaret; nam Buquoius moram ex mora nectens, contra conuenta & praescripta tardius castra mouebat, tardius locabat; imò ipso etiam fortunatissimo praelij die, cum maxime properandum ei fuisset, Serenissimum magnis interuallis praegredientem atque in hostes fortissimo animo euntem, primordiaque Victoriae libantem aliquot demum horis insecutus in consultationem vocauit, an eo die collatis aciebus decernendum esset; nec fandi copia, aut dissertationibus caruit, quibus supremum cum hoste congressum vel in dubium vocaret, vel omnino dissuaderet. Verum aliam sententiam animo Serenissimi stante, hoc saltem effecit Buquoius, ut serius quam debebat pugnaretur, & nox a praelio ingruens ciuitatem pauore exanimatam protegeret, percussisque metu hostibus concederetur spatium fugiendi: si enim praelium maturius licuisset committere, eadem omnino die potuisset, & ciuitas occupari, & hostes salutem pedibus quaerentes intercipi; ita ipsi qui victi fuere, fatentur.

Accessit militiae corruptissima disciplina, & facinorosa castris propudiosa Christianis; militari enim licentiam nullum scelus vitio habebatur; vexabantur omni belli iniuriam fontes & insontes; calamitosorum, penitusque percuntium clamor ac gemitus coelum pulsabant: id malum



clementissimus Principis animus tolerare non sustinuit, atque ideò sæpiùs exoptulans, disertè professus est; nisi se uerore Imperio petulantiam militum in fortunas accipita innocentum insultantem coërcerent, sibi decretum à tam profanis castris abire.

Demùm Buquoius mox post Piscam ferro captam circumspectare Morauiam cœpit, in qua, maxima ex parte à belli iniurijs immuni, & militari euegestati, seu auiditati in primis opportuna, hibernaret, retenturus interea exercitum Bauaricum tanquam comitem præsidarium, nihil pensi habens, quò Bauaros demum fata in hiberna ferrent, quasi non satis beneficij accepisset Buquoius, quem ab imminente hoste & in Austria inuitum coërcente per tot discrimina Cæsaris iussu ereptum Princeps iuit, cum ingenti exercitus sui damno, qui itinerum molestijs & insueti cæli vitio, in vastata & esuriante terra, ineuitabiles morbos contraxit, plurimùmque imminutus, in Pilsnensem circulum, qui vnus hibernis restabat, sine manifesto exitio, regredi non poterat, si in Morauiam vsque Buquoij copias præsidij causa comitatus fuisset. Et quam parum animi fuerit Buquoio de summa rerum hoc anno contendere, ex eo efficitur, quod palam edixerit, fieri non posse, vt Bohemia subiugetur, nisi triplici exercitu inuadatur, ob positum regni naturâ muniti; neque nescire se idcirco in Imperatoris aula sermonibus laceratū

iri,



iri, ac si paruum operæ precium tantis impensis fecisset. Moravia com meatu abundans & fesso militi commoda itentidem inuitabat, bruma imminens trahebat, itumque eò fuisset hiemandi causa, nisi Bauariæ Dux manibus & pedibus obstitisset: nunquam certè Serenissimus inuitatus ad confligendum cum hoste, sed sollicitatus sæpius est, ut recedentibus in Morauiam Buquoianis copijs, socio itinere præsidio esset; Verùm Bauarus & infra dignitatem suam duxit, & è re Cæsaris fore minimè putauit, ea de causa solum militare, uti Buquoij itinera variantis satellitem ageret; Pragam suarum laudum materiem & congressum cum hoste desiderabat, neque certè vnquam ad hanc pertigisset metam, si Buquoio abiturienti obtemperandum existimasset. Quia ergo Buquoio parum animi erat vagum Bohemum insequi, Pragamque rebellionis caput petere, tam æquum omnino fuit Bauarum de salute sui exercitus cogitare, quàm cogitauit Buquoius de incolumitate sui, satiusque putauit cum Buquoianis diuortium facere, quàm sine re & spe inter tot difficultates diem de die ducere castris nihil profuturis, non sine grandi existimationis dispendio, & per omnem Europam expectationis frustratione. Inter alios & ipse Buquoius testis citatur, qui uti vir est, nunquam dicet se maiori contentione Bauari secessum deprecatum, quàm Bauarus ipsum ad audendum & pugnae aleam subeundam appellarit.



Quod si Princeps tandem etiam à sententia dimo-  
 ueri potuisset, & à cogitato prælio deterreri & reipublicæ  
 & Cæsaris spei consultius fuisset in digressu, hostilia reli-  
 qua per circulum Pilsnensem loca occupare, quàm otio-  
 sum ambulonē agere, omnia quæ adhuc supererant per-  
 dere, tam innocentes quàm nocentes bonis ac fortunis  
 euertere; & de prouincia in prouinciam proficisci, vt Bu-  
 quoius per hiemem fornaces & foculos reperiret. Ergo  
 Buquoius vbi generosam Bauari pertinaciam aut pu-  
 gnandi aut secedendi aduertit, & ipse alios animos sum-  
 psit, cogitationemque propinquæ in Morauiam profe-  
 ctionis deposuit, ex quo nullâ amplius eloquentiâ opus  
 fuit Bauarum in castris retinere, & ad insectandum ho-  
 stem cohortari.

Perge, Peregrine. *Cuncti Consiliarij, amanuenses, atri-  
 ses, necessary vel morte, vel morbo erant ab eo diuulsi. Hiems ingru-  
 bat, negotia domestica reuocabant, castrensia incommoda deliciosè nutri-  
 tis qui cum eo erant nobilibus, grauiora quàm quibus pares esse possent fu-  
 tura videbantur. Sed frustra hæc omnia: cum magnus Dei ac Ecclesia  
 athleta, spretis omnium illecebris Buquoio hortante sapius ac tandem exo-  
 rante, ad finem perseuerare, quàm manu apposita ad aratrum retro a-  
 spicere maluerit. Hoc verò palmarium Buquoij facinus (cum soleant ho-  
 mines dignitate præfulgentes potentiorum presentia vri) sæpissime apud  
 me reputare soleo.*

Non eo inficias morbum insignem & per exercitum  
 & per aulam dedisse stragem, sed minimè delicatæ vitæ,  
 quam in aulâ antehac viuebant, culpâ, nam milites quoq;  
 de gre-



de grege duriter per omnem vitam agentes, æque hoc malo inuoluti fuere, atq; aulici; tuique Valones ante annum ex aula Hispanica omnes non prodierant, & tamen muscarum ritu exanimes, & passim iacuere cadauera, quod tu ipse non diffiteris. Facile in tanta colluue hominum vulgantur contagia morbi, multique non perunt suo, sed alieno vitio, moriunturq; quod inter mortuos vixerint. Nec Serenissimus illecebras patriæ spreuit Buquoio hortante, & exorari sese passus est, sed potius Buquoius animum mutauit suum, hortante Bauaro, vt fortiora, & pristinis suis facta paria Buquoius eligeret, ac omnibus nisibus in hostem tenderet.

Sed agedum, Peregrine, magnúmne piaculum commisisset Princeps, si occupatâ iam superiori Austriâ, hoste ex inferiore pulso, Buquoio è cauernis liberato, imminente mortalitate exercitu, inter tot funera & morborum pericula, appetente hieme, nullâ apud plerosque superante spe domum remeare cogitâset? durauit tamen, omniâque contagia quæ hoste nocentiora erant ingenti animo spreuit.

Quocirca ex hoc capite nequaquam efferre potes heroëm tuum quasi Herculeum opus patrasse in Duce Bauariæ persuadendo, persuasus ipse Buquoius est, vt magis decóra vellet.

*Octobris octauo peruenimus Pilsnam & inimicorum exercitui ad vicinum Rokizanum, vt vim nostram si quam adhibere vellemus, à Pilsnen-*



*Pilsnensibus auerterent, adueniendi causam dedimus. Ne autem quid in Pilsnenses machinaremur, Mansfeldy. artificiosissimo astu, ac versutissimo commento (quo per integros undecim dies delusi multi sunt) & supplementi Bauarici expectatione haesimus. Missis continenter ad Mansfeldium nuncijs spem liberandi oppignoratam suam fidem, moræ tunc nobis inopportuniissima precio vendebat.*

Vt in cerebro tuo quodque ordine positum est, ita tu illud effundis, nunc postremum, nunc primum: antecedente numero narraſti, quæ post octauum diem Octobris contigere, hîc percenses acta ipsius octauî, quem etiam alieno sole polluis, nam undecimo die demum vterque exercitus Pilsnam peruenit, vbi Mansfeldius non Serenissimum Bauarum, sed Buquoium, quocum egit, naso suspendit, & per tot dies perfidâ morâ lætauit, indignante Bauaro tantas occasiones versutissimi hominis dolo amitti.

Addis Peregrine: *Nono Octobris in Bauarici exercitus separata longius septem signa Hungari concubia nocte irruerunt, sed audito classico immorari timentes, non multis occisis, paucioribus abductis, pluribus, quod pagum incendissent, exustis, reuersi sunt. In quorum quoque barbaras manus Hazenlang equitatus Bauarici Vicarius paucis comitatus in patriam remeans, digrediente temerè auriga à reliquo comitatu, per infortunium illis diebus illapsus est, adeoque ab eis malè habitus vt breui fato cederet, & illi spe magni lytri frustrarentur.*

Rursus diem designas pro more tuo; nocturna illa belli furta non fuere ab Vngaris parata nono, sed duodecimo die post noctis medium. Haslangus 17. mensis

excur-



excurentibus Vngaris præda fuit, æger lectica vectus; culpam tu in aurigam temere digredientem confers, fortasse tu temere scribis; nam quis aurigam reum apud te peregit?

N. 35. Refers: *At Buquoij vigilantia, qui domo neglecta in viciniore hostibus silua excubabat, terrorque veterani exercitus imperialis Hungaros atque ceteros hostes à castris nostris vel semel tentandis deterruit. Cuius felicitati ac etiam providentiæ debetur, in nullo consuetu nulloque recessu ne tum quidem cum hostes quadruplo essent fortiores vel unicum signum sibi ablatum esse. Cosaccis fortè ipso inuito pradatum remotius procurrentibus, adempta sunt subinde duo vel tria vexilla, non tantum sine dedecore Buquoij, verum etiam sine omni ipsorum Cosaccorum sensu: qui sat sibi esse aiunt, pro amissis vexillis semper pulchriora fieri curare.*

Hic campus triumphus est, mi Peregrine, oscitantia Principis & miles tiro hostes exciuit, ut castra Bauarica per tenebras visitarentur ab Vngaris; vigilantia verò Buquoij sub dio excubantis & vetus eius in armis miles virtutis nomine terruit, atque etiam absterruit hostes. Hic canito Pæana, nec dux duci comparandus, nec bellator bellatori; hic tuorum verborum sensus, hæc mens. Decet nempe te latebris & libris tota vita innutritum, fanaticum iudicium de exercitibus, & eorum ductoribus ferre, eosque committere calamo, qui focia & amica arma ferebant. Si tanti est, nulla signa Buquoio ablata, tanti etiam sit nulla Bauaro ablata. Sed oro te, si Cosacci cæsi fuissent, annon Buquoij copiarum cæsarum fuissent? pariter au-

E

tumo



tumo cum Cofaccis signa ablata sunt, etiam Buquoio ablata fuisse, nam pars Buquoiani exercitus Cofacci erant. Quid si narrarem nocturnum recessum 12. Martij vestrum Hornensem? de quo iunior Anhaltinus in suo diario his verbis memorat; *Hostis ob defectum com meatus & animi, fortè etiam bellici apparatus hac nocte recessit cum dedecore, & confusione Langelois versus, unde venerat, derelictis post se multis impedimentis, sanisque & agris & amissis hominibus mille vel pluribus, magnaque præda nostris relicta. Captivi fuerunt Germani, Galli, Valones, Poloni, Irlandi.* Hæc Anhaltinus, cui visa sunt communia, vti appellamus, Noua suffragari, quæ addebant interrepidandum per siluam tria signa derelicta fuisse, hocq; militare flagitium altero die à Buquoio punitum. Reputa tu, Peregrine, vtrum probrosius sit, hosti congregienti signum permittere, an vt hostem effugias, signum abijcere? Bauari nullum permisere, nullum abiecere.

Num. 36. Palantes milites, spretâ legum reuerentiâ, dum prædantur, præda fiunt.

Num. 37. Hiberni Catholici nonnulli ex castris Bohemis transfugæ ab Hiberno à fide & virtute laudantur.

Num. 38. & 39. Anhaltini literas ad Mansfeldium ponis & exponis, quibus, ego commentarium nullum addo.

Num. 40. Doces exostulasse Buquoium per epistolam cum Anhaltino, quod durius haberet captos Valones & Italos, quàm Germanos, contraque ius militare odio



odio nationum, præferret laqueum lytro. Hungarorum  
ea noxa fuit.

Num. 41. Deploras fortissimi ducis Dampierij im-  
matura fata; & nos quoque huic Martio funeri ingemi-  
scimus, sed non credimus, quod tu decantas eum con-  
tendisse Buquoij gloriam exæquare, superare crederemus.

Num. 42. & 43. Totus pius es Peregrine, ac vota pro  
Buquoio toties periculo defuncto, toties faucio tam ar-  
dentia suscipis, atque si totius orbis Catholici salus ab  
ipso penderet. Troiæ vnus Hector erat, Europæ plu-  
res sunt, nec omnis Mars cum vno duce occumbet. Sed  
obseruandum est, te in tanta laudum aggestione, vitium  
in Imperatore summum Buquoio imponere, & famam  
eius minuere, rogas enim primò ne temeraria morte sua  
detrimentum respública capiat: deinde ais: *Te Buquoie ite-  
rum iterúmque obtestor, vt superuacaneis tandem desinas te exponere  
periculis.* Ergo tibi temerarius est Buquoius? certè qui su-  
peruacaneis se periculis exponit, temerè agit; temerè au-  
tem agere Imperatorum primum probrum est.

N. 44. Signum tubâ datur & castra Pilsnâ Raconi-  
zium mouentur, *Octobr. 22. ais, circa Pilsnam veluti inducijs  
pactis non repugnantem toto die progressi in pago proximo (prius aliquot  
Anglis, qui fortè occurrerant, cæsis) constitimus.* Planè tu & tui  
constitistis, nam Bauarici milites Croatæ Anglos illos  
succiderunt.



N. 45. Recreaste, Peregrine, vtriusque per noctem exercitus aspectu, lucentes inter ignes cum ad Plassense Monasterium castra tenderentur. ibi Buquoius exemplum stabiliendæ disciplinæ daturus, admodum exarsit in sacrilegos Polonos ecclesiam temerantes: stetit tamen ira citra mortem; rei quos deprehendere licuit, fustibus contusi, tuberoso capite maius malum effugere.

N. 46. Metamorphosin Ouidianam pangis, cuspidem ais vexilli legionarij Guilelmi Verdugo aliquandiu ignea luce effulsisse. vidisti? nec si vidisse te dixeris credam, qui crederem, cum dicas & non videris. Sed alij viderunt; posco tabulas: nugæ sunt; ex nocturnis ignibus radiatum læui ferro iubar videri potuit.

N. 47. Effunditur in Calvinistas stomachus, & aniles rumores referuntur de cœsis à Turca Polonorum 19. millibus de subsidiarijs Hungaricis 50. millibus, de futuro Bohemici exercitus augmento, sed somniato; de Anglis Oratoribus à Saxone in conspectû non admissis.

N. 48. Raconizium vterque exercitus attigit, serius tamen Buquoianus vbi in monte hostis confedit, qui antentandus esset, *inter Buquoium*, inquis, *ac Tiliu militiæ Principes controuertebatur. Sed Buquoio loci iniquitatem, quam ab Occidente maiorem, spectantibus vniuersis demonstrante, in eius, ut alias ferè semper itum est sententiam.* Vnus, Peregrine, militiæ princeps fuit Dux Bauariæ; Buquoius & Tillius legatorum personas sustinuere, & ierit bellicum concilium hoc loco in



co in Buquoij sententiam, ad Pragam certè non iuit; Ba-  
uaro tum suffragari placuit, & tentata fortunæ alea per  
vnum prælium tot bello turbatas prouincias tranquillo  
reddere. *Emissarij*, ais porrò, *Cosacci*, dum loca à Buquoio lustra-  
rentur hostem velitando albis vestiti indusijs distinebant, nullo quod sciã  
suo damno. Ain verò albis indusijs velitarinr Poloni nullo  
damno? At ego qui præsens fui, vnum in rubro indusio  
conspexi, profluente è vulneribus cruore, quem & mo-  
rientem videre commilitones.

N. 49. *Vltimo die Octobris*, scribis, *Bauarico exercitui obtigit  
prior acies. Serenissimus Dux à Buquoio vel Vallones vel Italos vetera-  
nos ( loco suorum tyronum ) cum equitatu suo admiscendos expetiuit.*  
Errando solenne tuum tenes Peregrine: penultimo non  
vltimo acies vtraque mota est, & Serenissimus Bauariæ  
Dux nequaquam loco suorum tyronum veteranos expe-  
tiuit, sed vti data per viam occasione, aut pugnandi aut  
hostem distinendi plus roboris haberet, si more suo Bu-  
quoius tardius insequeretur. Sed Buquoius Italos non  
Vallones ( qui alteri Generali militare agerrimè tulissent ) perlibenter con-  
cessit. Scilicet Peregrine, Wallones erubuissent Bauaro  
militare? gloriæ id sibi duxerunt aliæ gentes & maximè  
Itali, non ignari studij & metæ honoris: nisi fortassè Wal-  
lones opinentur nulli alij ducum, quàm Buquoio notas  
esse Martis artes, aut apertum Victoriæ fanum.

N. 50. *Raconizio*, scribis, *adiacet accliuus ab Occidente mons, in  
cuius summitate hostis se iam obuallauerat. In medio montis ascensu*  
E 3 *silua*



*silua ex abiete erat, non nimis opaca illa quidem, nec etiam aprica, fo-*  
*ueis tamen colliculisque aspera. Eam equitatus totus Comitis Holloc cum*  
*alijs & 500. musketarij defendebant. At non morabantur ideo animosi*  
*ac strenui nostri Itali sed contra audentiores, ceteris copijs minimè expe-*  
*ctatis, in confertos hostes proruerunt. Italos meritò laudibus*  
*ornas; nam & se & ducem suum Spinellum, virum acer-*  
*rimum egregia pugna nobilitarunt, primasque tulerunt*  
*sed Bauarorum cur obliuisceris, cum in laudes commu-*  
*nes ingrederis & tamen memor es cum culpas? Bauari-*  
*corum etiam peditum turma hanc pugnam pugnarunt*  
*quanquam quod detrahis pediti, accumulas equiti, ai-*  
*enim, Equites quoque Bauari animo ausuque ingenti in siluam pene-*  
*trarunt. Fit via vi, & strepitu fremituque ac horrendo congressu silua*  
*tremuit. Hæc tua laus, qua equites afficis, parcius tamen*  
*quam debebas; nam Crazius eorum ductor & equum &*  
*signiferum equo insidentem prostrauit, primusque ipsius*  
*Anhaltini supremi ducis vexillum ingenti virtute abstu-*  
*lit, nobilissimum tanti facinoris trophæum. Animosi ai-*  
*ac strenui nostri Itali ceteris copijs minimè expectatis, in confertos hostes*  
*proruerunt. Huic pugnae Serenissimus adfuit, Italosque*  
*quia ipsius ductum ea luce sequebantur cum turma Ba-*  
*uarica & parte equitatus in siluam immisit, & non ine-*  
*ptè tu scribis, certatum ceteris non expectatis, oro te quos ex-*  
*pectassent? Aliquot veredis citatus fuit Buquoius vt op-*  
*portunitati adesset, sed magnis distabat interuallis, &*  
*præliandi animus hoc anno non erat: superuenit demum*  
*fuso iam & fugato hoste.*

Pergis.



Pergis, Cadunt hinc & inde plurimi: sed cedere nescij Itali pellunt, expelluntque ex silua hostes, adeò de talibus militibus stupentes, ut si acies anterior, & ea quidem sola adfuisset cum Buquoio (ita me audiente non vulgares Bauarici exercitus homines loquebantur) cunctis castris fuissent hostes repulsi. Hoccine est laudare Buquoium? Tu fateris ipse, profligari potuisse vniuersum exercitum hostilem si Buquoius adfuisset? sed quare non adfuit? conflagere nolebat; neque enim hoc anno de militia in Bohemia finienda cogitabat. Opportunas pugnandi occasiones prætermittere, summo duci summè dedecorofum est.

At verò tuorum verborum (si acies anterior adfuisset cum Buquoio) interpretem age. Non adfuit anterior acies? quomodo igitur pugnatum est, an fortasse posterior acies concurrat cum hoste? nugæ. Itali anteriorem aciem constituerunt, & in aduersos Bohemos victrici manu irruerunt. Buquoij præsentia haudquaquam magnis votis expetebatur, copiæ eius potius desiderabantur, vti totis exercitibus concurreretur. Aderat Bauarus Dux, aderat Tillius Bauari legatus, aderant alij duces, quorum virtuti nihil defuit, sed defuit Buquoius laborantibus, deditque multis iure an, iniuria sermonem, qui sua cogitata celare non poterant, & aiebant Buquoium segnius mouisse, vti Bauarus præferocior, aliquantulum ab hoste pulsaretur, perpetuaq; suæ & inquietæ audaciæ aliquam



aliquam poenam penderet; futurum inde ipsum tanto maiorem, quantum alteri decessisset; vel certè ideo cunctatum, vti nulla daretur facultas pugnandi, ne dum nimium Bauarus tantillo tempore faceret; ipse præteritis tam multis mensibus, imò toto præterito anno cum tam florenti & instructo exercitu nimis parum fecisse videretur. Hæc vt dixi palam quidam iactarunt; quæ ego in medio relinquo; neque credo egregium virum Buquoiũ tam indigna sua indole & fama meditatum: sed ita hodie homines viuimus, vt non satis sit carere scelere; vix satis est carere suspicione sceleris.

N. 51. *In Martio hoc campo, ais, in hoc inquam siluestri honoris subili, magna nomina fato cessere Italorum Ascanius Aquaiua (ex Hadrianorum ad Precutinos Ducibus oriundus) Don Scipio Sersanus, Octavianus Iuuenis, (fratre grauiter sauciato) & alij minorum gentium non pauci. Bauarorum verò (vt ferebatur) insignis equitum magno omnium dolore Capitaneus, cuius nomen scire vbi hæc scribo frustra laboravi, cum alijs occubuit. Non iniuria cum encomio parentas Italis, fortiter enim occubuerunt, & vitam cum gloria commutarunt; sed dum Bauaris Vmbris inferias das, umbras feris, nemo enim ducum cecidit, ita vt verum scribas te nomen eius frustra indagasse: & tamen etiam supra scripseras, cadunt hinc & inde plurimi: pauculi nostratium desiderati, plures sauciati sunt.*

N. 52. & N. 53. *Pæana Neapolitanæ legioni & equitatu Bauarico canis, vti & lessum hostibus ob nobile funus Baronis de Dona.*

N. 54.



N. 54. & 55. Gratulationem & laudes in Neapolitanos & Bauaros ab ipso Buquoio congestas commemoras; sed præclarius fuisset Buquoio laudes cum victoribus meruisse, quàm tribuere. Quæ de laboribus castrensis noctu diuque perpetratis & functionibus Buquoianis adfers, duce tanto digna sunt, sed non sermo tuus, quia adulatorius est, & quidem sine arte.

N. 56. Tillij Generalis (vt tu ineptè cum appellas, Principis legatus erat) & opera Buquoij cæsum hostem depingis, vulgique sermone vtrumque censes.

N. 57. Hic eosdem rursus excusas, ita tamen vt videaris magis accusare Tillium aut Principem. *Castra hostiũ, inquis, etiam munita (inter multa alia id generis præclara) dixerunt illi periti scilicet censes, à milite nostro congregandi cupido, inuadenda fuisse. Itane verò? cum semper sit (inquit Poëta) incerti fallax fiducia Martis, & male cuncta ministret impetus, vbi nulla loci, insidiarum, virium hostilium præcessit notitia? Egregium sanè consilium. Ille longè magis peritioribus probatur exercitus ductor.*

*Non qui præcipiti traheret simul omnia casus*

*Sed qui maturo vel lata vel aspera rerum.*

*Consilio momenta regens, nec tristibus impar.*

*Nec pro successu tumidus, spatiumque morandi.*

*Vincendique modum mutatis nosset habenis.*

Poterat certè vel te iudice hostis ad Rakonizium castris exui, si in tempore Buquoius accurrisset; poterant & castra postmodum inuadi, quia valla illa ex confessione ipsorum hostium subito opere nobis obiecta speciem

F

dunta-



duntaxat habuere, falsura, si oppugnata fuissent, ipsos suos auctores. Ecquando oro te tandem pugnandum esset, si aggeres hostem inuictum redderent? Vbicunq; Bohemus pedem fixit, statim tumulare terram occœpit, nec se aperto vnquam credere sustinuit, ac tandem etiam in fatali loco suo, vbi succubuit, scrobem sibi fodere exorsus, si moram interposuissemus, omnem præliandi ardorem nostrum elusisset. Virtuti militum pugnam exoptantiũ non omnia valla obstant, vi fit via ad victoriam, & qui extra periculum pugnare decreuit, non nisi bellum gerere cogitat sine bello. sed hoc loco hostes non inuadendi consilium fuit intelligentiũ; non nego. sed enim consilium inuadendi non fuit fatuorum. Loci iniquitas etiã Pragæ fuit, & tamen ita pugnatum est, vt Deo iuuante vinceremus; vincendi, si ascensum extimuissemus.

N. 58. Buquoius in capiendis consilijs prouidus, instar Pauli Æmilij præcipites casus odit. Laudabiliter omnino; sed tu non laudabiliter aculeum in alios figis, quia enim Buquoio rerum experto visum non est pugnae discrimen subire, idcirco tibi omnes Nasicae, aut iuvenes immaturè feroces, qui contrà sensere. Et quis est ille, qui pone principia positus alieno periculo triumphare securus optauit? naris tam obesæ non sum, vt nihil captem, non potuit securus optare triumphum, qui prælium identidem clamauit, non Buquoiano solùm, sed



sed etiam suo discrimine præliaturus: quid verò is optarit, cui pugna non placuit, non scio; quid obtenturus fuerit hoc scio; iacturâ regni nimia cautela stetit.

N. 59. *Primo Nouembris, scribis, iactu tormenti iuuenis insignissimus pariterq; Illustrissimus Comes Marcus Fuggerus Augustanus, cum Ducem Bauarum Buquoiúmque Comitem inter alios multos heroes proximè obseruaret, utraque tibiâ delumbatus est. Memoria tua, Peregrine, peregrinatur; vltimo Octobris ferali globo hic iuuenis succubuit; seu vt tu egregiâ metaphora loqueris, tibia delumbatus est; quare non & lumbis detibiatus? nesciebam etiam tibijs suos esse lumbos.*

N. 60. Immissu Bauari templum in valle, vnâque cœmiterium ab hoste infessum, frustra que aliquandiu maioribus tormentis impetitur egregia Neapolitanorum, Germanorum, & Lotharingorum virtus fortissima impressione occupauit, cæso aut fugato præsidio. Quod ego ideo meis verbis repeto, quod tu Bauaricis nimium quantum amicus, Germanos Lotharingosq; præterieris, solis Neapolitanis addictus; quos miraris tam diu adhæsisse Duci Bauaro, quasi præferendus ab ijs fuisset Buquoius; prætulissent, si Peregrini fuissent, & ingenij tui rustici.

N. 61. Camilli Cocci mortem prosequeris & hostes verbis frustra flagellas.

N. 62. *Sequentibus diebus, inquis, præcipuus labor fuit in vallis, prætenturis, lorici excitandis, in tormentis vtrinq; explodendis, in velitationibus magna ex parte inanibus, & in stratagematis frustra susceptis.*



Lapides Peregrine loqueris; apud Vegetium tuas prætenturas si inueneris, mone me.

In extremo hoc numero dolium maiore pila ictum, vinum profundit lasciuenti militi, cachinnosque mouet. digna res annalibus, sed tuis.

N. 63. Petulantiam militum, contumeliosas utrinque voces iactantium persequeris tam specioso verborum ornatu, ut appareat, fuisse ingentem tibi libidinem insulsa & stulta, quæ tibi arrisere, effundendi. Corollarium autem tuum primas fert; ais enim, *Sed non magna fuit voluptas istius capitanei Bauari, in nebula à suis aberrantis, qui per imprudentiam induit se in medios hostes, quod unus fistula more subulcorum Bauaricorum caneret, ratus inde eos fuisse suos.* Si quæram à te, Peregrine, quis hic Capitaneus fuerit, non aliud dices, quam Quidam. Quis est iste Quidam? scio ego Quendam nugatorem. Sed oro te, ne quæras, Quis est iste quidam nugator? alioquin audies Constantius Peregrinus est. Tu hanc fabellam & dictum fortasse scurræ alicuius, dignum censes tuis chartis? Nulli erant subulci cum Bauaris; nec suum cornua cecinere in egregio exercitu. imo fatuus fuit ille, quicumque fuit, qui illudentis illius buccinæ sonum secutus est; scire enim poterat, si mens constabat, Bauaros à Bauaris non ludificari. Hostium est conuitiari & illudere; imò non hostium solum ut video, sed etiam tuum.



N. 64. Similis est priori & planè scurrilis: sed ne videar tibi iniuriam facere, loquaris ipse: *Arguto tandem mimi responso in castris celeberrimo, finiam hanc dieteriorum inter milites pugnam. Est lusus non unicus lusoriarum chartarum, quo monas, seu primus in numeris, ipsum regem superat. Monas autem inter Germanos plurimos Saw / id est sus, vocatur. Iam verò à suo morione interrogans Serenissimus Bauarus, quem tandem finem huius belli speraret, falsè simul ac facete, dixit, eundem quem in lusu chartarum, quo sus deuincit regem. Sues autem, ut iam dixi, scommaticè Bauari (à quibus cum Casarianis rex superatus est) nominantur. Dico cum Casarianis: quod id citra controuersiam cognoscatur, quòdque Serenissimus Bauarus pro sua incomparabili modestia aliud esse à parasitis dictum, agerimè, ut plurimi referunt, tulerit.*

Plura hîc tua sunt peccata, Peregrine; Primum est, quod videaris calamum tuum in hara tinxisse, qui de subulcis tam scitè scribis. Alterum est, quòd referas dictum mimi Bauari, qui nullus in castris fuit. Tertium est, quòd affirmes hunc à Bauaro interrogatum, quem tandem finem huius belli speraret. si nullus illi adfuit, nullum interrogauit; & scire debes Principem nostrum agitare res serias consuesse, mimorum ineptijs aut alloquio delectari minimè, alioqui & tecum sæpius in castris egisset. Cum prudentibus vsuque rerum præstantibus illi & vsus & necessitudo est: ibi audit, quod iuuat, & auditur vicissim. Quartum est, quòd (facilè ignosco, cum chartis alijs assuêris) lusoriarum foliorum, quæ Germani terunt, imperitum te ostendas; monas in ijs



nulla, sed Duitas, ut sic dicam, quam Galli appellant Deûx; ista regem deuincit, non monas. Quintum, ut affatim perfruaris mimicæ amarulentiaæ delicijs, fateris hic à Suibus, hoc est Bauaris, regem superatum & infra N. 82. scribis, *Regno illum (Palatinum) Buquoius spoliavit.* Ergo & Buquoius monas Bauarica? explica tu illi symbolum. Sextum si Bauariæ Princeps parasitis suis, qui illi soli victoriæ palmam tribuerunt, admodum succensuit, & tu hoc loco eandem etiam ob causam subirasceris; cur idem ergo abs te aut alio tui simili commissum? In literis Buquoianis ad Cæsarem de victoriâ reportata, tam nihil de Bauaris, quàm de Magni Mogoris bellatoribus.

*Volitant quidem Praga, inquis, & Mediolani excusi Italicè libelli, quibus omnis gloria, omnis laus, omnis fortitudo huius belli, Serenissimo soli Bauaro, ac solis Neapolitanis, excluso Buquoio cum Cæsarianis, nec excluso tantum, sed malignissimis dentibus sæpius demorso vindicatur. Cum authore benignissimè exostulauit Buquoius, eumque infinitorum mendaciorum atrocissimorum propalam conuicit: deprecantem tamen reatum, non ex malo, ut aiebat, animo, sed ab ignorantia profectum, impunè abire permisit. Apud eos qui hominem norunt, nullum est periculum ne fidem faciat, veluti palam is quem perspicuè*

*Subsequitur cæcus amor sui.*

*Attollens vacuum plus nimio gloriâ verticem.*

Volitant pariter per Germaniam literæ vestræ, in quibus nulla alia iniuria Bauaro irrogatur, quàm quod nihil illi arrogetur, & tu in hoc ipso scripto sæpius dentes in eundem exeris, nescio an malignissimos, ita certè,

qui



qui sentit, sentire videtur; nisi fortasse opineris tuos dentes quantumvis altè infixos, demulcere legentem. Constat vtrumque exercitum fortissimè pugnasse; sed constat etiam Bauarum auctorem prælij fuisse, summumque militiæ caput, cui adscribenda victoria, Buquoio tamen non detrahenda. Tillius certè in ipsa pugna ingentibus periculis obnoxius longè plus præstitit, quam Buquoius ob vulnus in cisis confidens, & Tillius tamen cum nullo vllam de victoriæ principatu contentionem suscepit. Plus haberetis, Peregrine, si minus cuperetis. Quare tibi ista cane

Subsequitur cæcus amor sui.

Attollens vacuum plus nimio gloriâ verticem.

N. 65. Ais scripta & Pragæ & Mediolani sparsa, non esse lectu digna. *Ego verò, ais, neglecto eo (adulatore famelico) eiusq; sicum sperantis commentis, ut prorsus non legi, sed negligi dignis.* Censura hæc in tuo libello, de tuo libello longè optima est: quid enim in eo nisi temerè congestū rerum & fandarū & infandarū chaos? Multa non suo loco, multa quæ nullo loco esse debebant, vel quia falsa, vel quia ludicra, & togato scriptori indecora; in quo vnum hoc laudo, quòd tam vario carmine stilum alicubi satis inquinatum condecoras: hoc enim ipso lectori ostendis, & etiam persuades, te in historia contexenda poëticè loqui.

N. 66. Inter summas annonæ aliarumque rerum difficul-



ficultates laudatur militum constantia, & ardor pugnam  
 expetentiū. Sed de Buquoio quid faris? *Buquoio ipso*, inquis,  
*sine solita quidem lautitiâ, haud tamen minùs quàm aliàs leto.* Itaq;  
 solita est Buquoio in castris lautitia? nunquàmne is fru-  
 galis, quàm cum non habet, cum quo luxurietur? debet  
 tibi non parum Buquoius tantopere laudatus: parsimo-  
 nia alioqui Ducum apud scriptores in laude est; tibi for-  
 tasse, quia patina placet, placet & is cuius quadram lam-  
 bis: sed quàm aptissimè quadrant Valerij Coruini verba  
 quæ tu hîc allinis, inducîsque Buquoium ita loquentem.  
*Facta mea, non dicta vos milites sequi volo; nec disciplinam modo sed*  
*exemplum à me petere:* Itaque milites iubentur à Buquoio  
 in annonæ egestate à se petere exemplum patientiæ; aliàs  
 exemplum lautitiæ & quidem solitæ. Bellissimus enco-  
 miastarum Peregrinus est, & multis nominibus meretur,  
 vt ipse quoque laudetur, sed à simili laudatore. Ego ve-  
 rò Buquoium nec admorsum volo, nec carptum (vt po-  
 te, qui non nesciam diluendas sæpe belli molestias, & li-  
 beraliori victu minuendas) ostendo tantùm quàm egre-  
 gium scriptorem sortitus sit.

Sed tamen lautitiam delitiâsque procul habuit Ba-  
 varus, nec suos quidem contendit vincere. Mensa nun-  
 quam nisi modica, interdum nulla; curis sæpè satur: in  
 delectu nocturnarum stationum minimè delicatus, tur-  
 gurijs à Buquoianis ante suum aduentum aut spoliatis,

aut



aut propè euerfis contentus: manè ad primam viandi oportunitatem vigil, & iam in itinere, cùm alij puluinar adhuc premerent. Certè vltimâ nocte, quæ prælium antecessit equo insidens & gelascente sub dio per horæ decursum expectans missis pluribus nuncijs, tandem quiescentem Buquoium castris exciuit; perditurus omnia, si diem illum perdidisset. Neque hostis nesciuit impigrū Bauari militandi studium, atque idcirco extimuit, audentque adhuc palàm dicere, in locis minimè tutis se tutum à Buquoio fuisse, è loco verò tuto à Bauaro eiectum & cæsum.

N. 67. Benignam Dei prouidentiam in domum Austriacam & Ferdinandum Cæsarem Catholicorum Principum suppetias commemorat. extremum ita infit: *Sed inter reliquos Ecclesiasticos Principes, nescio an aliud subsidium illustrius (absit inuidia, cum non errem ex affectu, sed si erratum sit, ex solo intellectu) quàm Illustrissimus VVirzburgensis ac Bambergensis Episcopus suppeditauerit. Numerus dicebatur octo millium: sed tam equitum quàm peditum ita instructorum armis peritia militari (integro anno ab egregijs capitaneis ingenti sumptu fecit eos exerceri) alacritate & firma valetudine, ut firmissimum essent exercitus Bauarici ornamentum. Verissimis laudibus extollis clarissimum Germaniæ Principem Episcopum Wirzburgensem de Cæsare ac repub. insigniter promeritum; sed more tuo quidquid occurrit effundis. Ex tuis octo millibus duo peditum millia quingenti, sexcentique equites stipendia duntaxat Wirzburgica*



gica secuti, reliqui omnes sub Bauaricis signis meruerunt.

N. 68. Cùm in via essent illi VVirzburgenses (sic hodie vocantur) in Bohemiam Don Balthasar de Marrada ubique inclita iam fama celeberrimus illis processit obviam, & liber ab hostibus (quos uterque exercitus, Casarianus ac Bauarus procul ab eo distinebat.) quàm plurima oppida ac castra eorum auxilio expugnauit; ita ut iter ex Bauaria in Bohemiam eius industria, eorumq; opera tutum ferè esset ac expeditum. Honoris causa tanquam duci egregijs factis inclito voluit Princeps etiam suos parere.

N. 69. Nouemb. 4. latum aduenit exercitibus cum magno commeatu omnium necessariorum hoc subsidium, simulque melius de praelio instante (quod vix ulli videbatur euitabile) plurimis meticulosis presagiis. Lubrici tibi pedes sint necesse est, Peregrine, qui toties laberis; pars subsidij huius iam 15. die Octobris venerat, pars 3. Nouemb. non 4. appulit. Erras ubique, sed ubique etiam deprehenderis.

Quod ais, praelium videbatur vix ulli euitabile, cum discrimine accipio. Bauari vniciis votis praelium poposcerant, non arbitrati tamen sunt non inuitabile, quia sensum Buquoianorum nouerant, præcipue illorum qui antehac non admodum suspirauerant pugnam; & idcirco Bauari metuebant, ne Buquoiani porro nollent. Sed aduentus attulit melius, vt tu loqueris, plurimis meticulosis presagiis. Itaque in exercitu meticulosi reperti sunt? quæso in viro? profiteris in initio tuarum chartarum oculatum testem: si ergo



ergo oculo teste deprehendisti meticulosos in Buquoia-  
nis castris deprehendisti; in Bauarico, quia aberas non  
poteras; ego verò dum diffidentiam quorundam aduer-  
to, omnibus timiditatem non obiecto, scio plurimos in  
Cæsariano exercitu Martios spiritus gessisse, qui animo  
& robore confisi congressum cum hoste efflagitarunt  
vltro.

N. 70. Buquoium per castra negotiosum, dum non  
procul hoste mandata dat, ferrea glans in virili corporis  
parte, non tam percussit, quàm stringendo adussit. Id  
vulnus auribus maius acceptum, quàm oculis: & ne tu,  
Peregrine exanimis iaceres, chirurgi lætiora nunciantes  
reuocant fugientem animam tuam.

Ille qui plagam acceperat animo erectior fuit, nam  
ad proceres fortè astantes, ait, *per qua quis peccat, per eadem  
punitur.* Militare dictum, quo sese non tam religiosum  
fuisse in Vestæ templo, quàm tu ei supra N. 5. tribuis.  
affirmas enim eum nunquam sacris Bonæ Deæ cum Clo-  
dio interfuisse: verum nequaquam mearum est partium  
secreta rimari, neque mea refert quid Iuppiter in aurem  
Iunoni immurmuret; demonstrare tantum volui tua di-  
cta, Peregrine, cum Buquoianis non admodum conue-  
nire.

N. 71. Die quinto Nouembris Raconizio cum hostes elicere in pu-  
gnam nulla spes superesset, recessimus. Commodissima aciem nostram  
postea



posteriorem delumbandi oblata est hostibus opportunitas, cum perdifficilis esset cæteris aciebus ad opem ferendam regressus. Sed nulla nostrorum manus infirma illis est visa. Emissarij quidem aliquot non semel sunt insequuti, sed simul ac à Wallonibus, qui postremi recesserunt, sunt visi, in fugam idque semel atque iterum fuerunt retroacti. Spe tamen in tanta occasione conflictus freti, non modò Colonelli nostri, Colonellorum vicarij, ac capitanei cum flore exercitus posteriora agmina claudebant. Recedimus ergo bonis auibus Raconizio, Peregrine, sed ordine à te structo, ais enim Wallones postremos recessisse adeoq; formidabile tergum præbuisse, uti hostem semel iterumq; laceßere audentem in fugam retroegerint. Admodum arridet, Peregrine, quod extremum in discessu agmen tantis laudibus ornes; eæ tamen Wallonibus non cedent, sed Lotharingis potius Bauaro militantibus, Bauara eo die acies & prima fuit & vltima, postremum ordinem duxit Floreinville ducentis Muscetarijs stipatus, hoc ipso præter cætera factò illustris, eò quod inter belli gnaros arduum admodum habeatur in recessu antecedentes tutari, & vim insequentis hostis aut eludere, aut coërcere. At tu, Peregrine, ut tuos Wallones magis illustres, fingis etiam semel atque iterum retroactos ab ijs hostes, tu semel atque iterum loqueris etcætera; nam nemo vnus hostis insecutus fuit, retroage ergo verba tua.

N. 72. 73. 74. Recitas fragmentum historiolæ Anhaltini progressus ex hostium chartis parum ad nos attinentis.



N. 75. 76. 77. Pragam iter vterque exercitus intendit molitionum hostilium, ne per exploratores quidem sciens. Buquoius pugnae committendae non iniquissimo loco certus; septimo Nouembris sub vesperum hostis cernitur, velitationibus laceffitur, nullo ferme operae pretio: pluribus demum ignibus per noctem incensis ludificationem hostis adornat vnà, & iter fugae simile.

Hæc tuorum numerorum summa, in quibus per saltus historiam texis: Sexto die Dux Bauariae cum legionibus suis Buquoianos antecessit, obuio Hungarorum praesidio trucidato, curruum triginta com meatum hosti ademit. Septimo die alternato praecedendi iure vestrum erat hostem primo cernere; sed quantum à Buquoio properatum sit, indicio est, quod Bauarus, cui posterior acies obtigerat, aliquot horas exercitum vestrum anteuertit. Nebula, quae caelum caligabat, post meridiem discussa, quatuor equitum hostilium alas detexit: qui ut conspexere turmas aliquot de nostris aduersus se instrui, subduxere se in tutiora. Ergo nostri pariter insecuti totam hostium aciem in plano & pugnae aptissimo campo deprehendunt. Serenissimus vbi hostem ad dimicationem paratum aduertit, & ipse suas copias per ordines disposuit, missisque retro cursoribus Buquoium, ut occationi adesset, maturaretque monuit; frustra: Buquoius primum obortis tenebris appulit, indignantibus Bauaris



opportunitatem eo die præliandi ademptam, qualem deinceps vix sperare liceret. Consensus omnium fuit deleri potuisse hostem. Princeps simul o prudenter animi morfu ne & insequenti luce elaberetur hostis, haud dubiè Deo agitante cum Buquoio conuenit, uti ad noctis medium castra mouerentur.

N. 78. Gautscherius equitum Colonellus, in primis clarus, hostium castra explorat, arreptoque ex statione milite ad Buquoium redit. Ab hoc intellectum hostem Pragam festinatis itineribus contendere.

N. 79. Buquoius hora vespertina cibum sumit, vulnúsque curat, post tres horas ex condicto abiturus.

N. 80. In porta inquit Peregrinus hypocauisti (Strazitij) in quo Buquoius iacebat, scriptum vidimus chronographicè

FRIDERICVS rex BOHEMIÆ.

Rursum

FRIDERICVS IMPERATOR VIUAT.

Hoc ego ex tuo numero ideo refero, ut lector sciat, quò Calvinistæ collinearint: omnia rapturi, omnia amiserunt.

N. 81. *Id cum Candidus Eblanius narrasset Buquoio: tibi verò, inquit, quid videtur? Candidus infit candidè; verius chronicon videri sibi utrumq; istorum:*

*CoMes fVistl, non reX, sed Insane asplrastrl,*

*Clitò nec reX nec CoMes eris qVla Casari rebeLLastl.*

Admo-



Admodum hæreo an Candidus ille Eblanius tam promptus fuerit, vt instar alcarum numerale carmen ex tempore proiecerit; non dubito primùm esse eusum post Pragmam captam; nam idem in proelio Pragensi à Candido vulgato legitur, quasi è re communi esset scabiosum carmen iterare.

N. 82. *Quibus certè vt vidimus euentus egregiè astipulatur, cum regno illum Buquoius, comitatu magnus Spinola, sed Electoratu potentissimus Cæsar spoliauerit.* Etiam vt video, mi Peregrine, prophetam agis, & ne erres præterita fermè prædicis, nec tamen ista verè. Quis regno spoliauit Palatinum? Buquoius, inquis; perinde est, ac si dicas, Ego & Hispaniæ rex opulenti sumus, sed tamen nisi suas pecunias Hispanus meis connumeret, census noster tantus erit. Si Buquoius sine Bauaro tantum facinus patrare potuit, eccur non citius fecit? quid per æstatem intra vallos delituit? cur Bauarum rectâ in Bohemiam mouentem in Austriam traxit? Buquoius, vt sciens sis, ita Generalis Cæsareus fuit, vt in expeditione Bohemica Bauaro subijceretur; nam Commissio, vt vocant, seu imperium in Bohemiam à Cæsare Bauaro traditum erat, Buquoius ergo adiutor tantùm adiunctus, id quod præstitit, sub se maiore præstitit. Liberati ergo regni gloria penes Bauarum est, supremum Cæsaris ducem; neque tamen idcirco de laude Buquoij fortissimi adiutoris quidquam delibatur: vterq;



exercitus in pugna strenuè rem gessit, vterque eximiam gloriam reportauit, reportarunt & duces, sed summus summum, quam qui inuidet, suam amittit.

N. 83. 84. Gautscherius etiam hostium testimonio præclarè pugnauit in Hungaros, quos somno sepultos & sui securos improviso impetu oppressit, abductis mille equis.

N. 85. Admodum prolixus est in decantanda Gautscherij virtute in dormientes exerta Hungaros usque adeo territos, vt etiam reliquo exercitui incusserint pauorem ad fatalem pugnam vsque duraturum, fuit itaque hæc felix Gautscherij velitatio non solùm initium, vt tu loqueris, sed pignus ac arrha totius victoriæ.

Si primùm post Gautscherij conflictum timor hostes occupauit, ecquid oro te Peregrine numero 77. supra scripsisti, hostes ignibus succensis surripuisse se occulta fuga versus Pragam: si fugitiui, ergo timidi, nemo fugit, cui pectus interritum est. Ad fines Morauia cùm Bauari territantia signa videre Bohemi, cœpere expallescere, horrere, trepidare, cursitare, conspectum non ferre, tuta capeßere, nusquam consistere. Ab hoc igitur tempore futuræ victoriæ arrha nota esse cœpit. Ducen- ti Hungari sua vecordia trucidati tantum formidinis magno exercitui non iniecere sed alius exercitus vestigia eius vestigijs legens terrorem incussit. Haud vanè prælagis militiæ tam meticulosæ non fore fortem euentum.

Inter



Inter cætera cùm æmulationem Cæsareos inter & Bauaros equites detegis, lepidus es, imò ne errem serius es, prodigiosus es; nam præsentem sistis in Gautscheriano certamine Vicecolonellum à Niuenheim, qui Bohemiã non attigit, sed multò ante ægritudine fractus domum repetiuerat. O te oculatissimum testem, qui etiam ea videas, quæ videri non possunt.

N. 86. Gautscherius pagum incendit, & micante per tenebras flammâ Peregrinus recreatur.

N. 87. Probat ab exercituum Imperatoribus ad iter expeditius conficiendum relicta esse impedimenta.

N. 88. Princeps media nocte cum suis pergit, Buquoius insequitur, & stratagema, vti tu appellas Gautscherij cognoscit. Ego verò licet fortissimi equitis facto faucam, stratagema tamen nullum reperio. Quid est stratagema, Peregrine? dormientes ferro cædere? magnus scilicet astus militaris est.

N. 89. Labore & industria Anhaltini aduersariorum acies in ordines tributa delineatur, in qua, inquit auctor Relationis, rationibus subductis debuissent circiter esse peditum 18000. & 10000. equitum, præter sex millia Hungarorum. cum tamen in prælio vix essent omnes simul viginti millia. Minuit hic credo scriptor suorum numerum, vt dedecus suorum minuat.

N. 91. Ex captiuorum confessione in acie Bohemica

H

depu-



depugnasse viginti quinque millia scribis, censésq; aciem ipse censendus. Calamus & libri, tuæ censuræ sint; quam neque calamum cum decóro ducere nosti, alioqui modestius eum vsurpasses in tuo itinere inuio.

N. 92. Mons albus Bohemis æternùm funestus ob oculos ponitur, in cuius imo ponticulus non nisi *seorsim uni*, vt tu loqueris, *vel alteri transibilis*: fallis porro & in transitu equitum; nam inquis, *Ab vna & altera pontis parte palustri, transitum inuenerunt sigillatim, qui equos habebant meliores.* Caligauit rursus oculus tuus, testis oculate. A parte altera ponticuli paludem permearunt, serie qua volebant nexi equites lata aut angusta; nec soli qui valentioribus equis infidebant, sed omnes. Et quando tandem superasset illas angustias exercitus si alter alterius vestigijs insistere sequendo coactus fuisset? de re tibi ignota scribis; & scio ego, vbi tum fueris, cùm copiarum traductæ sunt. Dices te audisse ab alijs, & ego à te audio, sed non credo.

N. 93. Nondum absoluta montis descriptio est, neq; aciei hostilis.

N. 94. Seipsum Peregrinus temeritatis accusat & causam subnectit, *Cùm enim*, inquit, *Tilio Bauarici exercitus Generali importuni cæco Zelo fuisset, vt montem subiret, antequam mediis exercitus ad subsidium peruenire potuisset; nihil propius fuit, quàm vt eum, qui alioqui male suadentibus surdus esse solet, & nos ipsos hosti victimam ultroneam faceremus.* Quid si Barone Tillio iudice te vanitatis condemnem, Peregrine? vbi tu hæc cum

Tillio?



Tillio? quid consilij contulisti? eratne tuum, flexilem fortunæ orbem versare, & pugnae genus quod non intelligebas, suadere? Subierat iam ingenti ausu Tillius, ac manus non solum cum hoste conseruerat, sed etiam cedentem pepulerat, habiturus faciliori certamine victoriam, si cæteræ cohortes maturassent insequi; receptui ergo inuitissimus cecinit, expectaturus reliquam aciem; neque mora hæc periculo caruit. *Igitur primus inquis, nos discriminis tanti monuit Eduardus Giraldinus nobilissimus Hibernus Venerarij colonellus, Serenissimo Bauaro bellicus consiliarius, eiusq; ad Buquoin creberrimus internuncijs, veteranus, ac Ostendæ celebris miles, hodie gubernator Vdenheimensis pro Spirensi Episcopo. Hic, inquam, docuit nos in tanto periculo versari, è quo vix erat egressus. Et certè ita erat, si Deus mentem perduellibus non abstulisset, caliginemque non offudisset, ut ruerent suas furenter in clades, quas alioquin euitare facile potuissent.* Giraldinus ille tuus gentilis properè à Serenissimo Bauariæ duce missus erat, ut quæ in rem esse censeret, referret. si Bauari in periculo fuere, fuere tui adhuc absque vilo; lentius enim pergebant, nec tam ab hostibus malum instabat, quàm ab absentia vestra.

*Anhaltinus, ais, pro rara sua peritia bellica prædam sibi oblatam iam pene faucibus deuorans in nos copias suas vniuersas effundere voluit. Sed Hollachius ut captiui omnes confirmarunt, & relationis hostium tacito eius nomine, quæ sequitur quarta pars indicat, magno nostro bono ne iusto praelio occasio daretur (ita à congressu erant Pisandri nostri alieni) opportunè intercessit.*

Hunc tu, Peregrine, numerum finis epiphonemata-



te, cui non obtemperas: *Sinamus* ais, *Cononi*, qui illud intelligit bellum cura esse, nos verò rerum istarum imperiti, rerum nostrarum satagamus. Sæpe qui optima docentur, pessima docent. Ecquid tu cum imperitum te fatearis, toties magna capita censuisti? si animus satagendi rerum tuarum est; militem exue, ab ephippio sclopetos amoue, fac alia quæ tui sunt muneris: satis intelligis, satis velis.

N. 95. *Buquoius* quoque (quem iam ad pedem montis iuxta ponticulum habemus) aduertens exercitus *Bauarici* imminens non sine indignatione periculum, suos ut se ad dextram celerrimè aggregarent, atque in aciem præscriptam conijcerent, sollicitè mandauit. Per victoriam paulò post obtinendam, oro te, *Peregrine*, ubi *Buquoius* aduertit periculum *Bauaricum*? ad ponticulum? vis ut *Candido* candidè loquar? falsum est; in pago proximo adhuc confidens *Buquoius* ad *Bauariæ* Principem qui cum suis propè pontem aciem instruebat misit, ne suos ponticulum transire pateretur, sed cùm postea ab alijs transisse cognôisset, hostémque primæ aciei virtute submouisse, frontem asperauit, videbat enim eò non sine consilio processum, ut nolenti volenti pugnandum esset.

Nunc ergo acies nostra, pergis, in momento instructa putanda est, sed longè diuersa ab hostium, quam paulò superius vidimus formâ. eam quoque pro modulo meo, si prius, quid fieret à nostris strictim retulero, crassissimo licet penicillo delineabo. Hic aliquid tandem efficis, in quo suaforijs non eges: ais te crassissimo penicillo aciem tuam delineaturum. credo.

N. 96.



N. 96. *Dux Bauarus inseparabiliter adstabat Buquoio, in rheda ob vulnus sedenti, idque ad pedem nostri montis. Videbantur esse in tuto, minimum tamen absuit, quin globo tormentario per gradarios desultus in eos magis deuoluto quàm contorto, non sine ingenti damno orbis Christiani opprimerentur.*

Bauariæ Dux non inseparabiliter Buquoio adstitit, sed tibi inseparabiliter adhæret affectus in Principem iniquior. Iam Serenissimus pontem superaauerat, cùm Buquoius adhuc longissimè abesset. Dein quoties Buquoius Principem per nuncios rogauit, vti consulturus ad se curru detentum ex vulnere, dignaretur accedere? an nuncij mittuntur coram præsentibus, Peregrine? sæpius, debebas dicere, Principem Buquoio adstitisse consilij causa, quod pro re nata aut mutata aliquoties mutandum erat, quanquam initio Princeps ad rhedam diutius substitit, quod Buquoius de alea iacienda anceps diu fluctuaret, & vti flecteretur, iussit Serenissimus etiam minores duces accersi. Vbi aliquandiu variatum sententijs, conclusum demum est Deo & Diuis bene fauentibus eundem in hostem. Ergo vbi iam cælum tubarum clangore, tormentorum boatu, & clamore militum inhorruit, cohortesque quædam loco cesserunt, Princeps & Buquoius ad suos pergere cœperunt, ac Serenissimus quidem ad læuam erepturus hosti tormenta nostris infesta; sed iam suorum virtute occupata reperit. Nemini magis doluit quàm



Serenissimo, quod apud vulneratum tam diu consistere adactus fuerit.

N. 97. Narrat religiosorum in exercitu labores, & octo Patrum Societatis Iesu obitus, pietatem item non paucorum militum ante pugnam.

N. 98. Inuehitur in impios milites.

N. 99. Aciem Buquoianam refert pro angustia loci ordinatam, Buquoiumque à peritia laudat. *Dein omisso, ait, Bauarico exercitu cuius ideam soli sibi voluit Tillius notam esse. O Peregrine, propè dixi inepte! Soli sibi notam voluit esse ideam aciei Bauaricæ Tillius? vbi ergo aciem instruxit? an in occlusa fornace aut sacco aliquo? an non in aperto campo stetit acies Bauarica? non vidi, inquires: credo equidem, quia magno stat hæc visio; sed nec credo te vidisse Buquoianam & tamen eam memoras. Sed cur utramque aciem in prælio Pragensi (in libello inquam tuo de prælio Pragensi) oculis iustrasti, & in Itinere tuo occæcatus primùm es? in prælio Pragensi ita scribis: Ita tamen acies utraque disposita est, ut Bauaricæ copia à sinistris, Buquoiana à dextris quatuor phalangibus peditum, & quindecim turmibus multiplicibus equitum impressionem fecerint. Ecce nosti aciem dispositam, & tamen ais, Tillium sibi soli notam esse voluisse.*

Buquoianam hunc in modum describis. N. 100

NB. Hæc & quæ sequuntur

Acies Cæsariana triplex erat; prima, media, postrema



In prima erant binæ peditum, numero circiter (si omnes adfuissent) sex millium, phalanges; binis muscetariorum cornibus antrosum atque retrorsum (quorum singula fronte quinary ordinibusq; viginti, centum circiter recensentibus) prominentibus. Singulæ item tripartitis equitum alis parum infra medium ex mille forte quingentis equitibus erant suffultæ, quæ tamen dextræ phalangis erant sinistrae alæ, phalangis sinistrae alas dextras efficiebant. Omnes acies, phalanges & alæ distantiam præscriptam accurratè obseruabant, quâ ad vim inferendam, & illatam repellendam nulla potuit esse opportunior.

tur & ad  
S. Lattus  
fol. 57. sunt  
ipsius Peregrini  
ni Verba.  
quantumvis  
errore quodam  
alio chara-  
ctere impressa.

N. 101. Media acies ex solis tribus millibus Neapolitanis strenuissimis equitumque alis binis constabat.

N. 102. Postrema acies par erat in forma priori, nisi quod singulæ phalanges singulas haberent tantum alas exteriores. Inter utramque tamen phalangem Poloni omnes simul nonnihil retrorsum collocati erant. Vniuersi simul non attingebant millia duodecim, absentibus amplius equitum millibus duobus & millibus sex peditum: partim in expeditionibus cum Don Balthasar & Dn. Walstein: partim panis quærendi causa palantibus. A sinistris imperialium, exercitus Bauaricus suum, quem (vt dixi) nescire debui, ordinem tenebant.

Anterioris aciei dextra phalanx obtigit Wallonibus  
(præ-



(præfecto castrorum Don Guiljelmo Verdugo, & D. de Hainin strenuissimo, vigilantissimo, ac probissimo Burquoij Vicario) militantibus. Verduorum olim in Lombardia Verdugis cognomen erat, Sed cum esset aliquis ex ijs ante plura secula Mauromastix seu flagellum infidelium, eos Verdugos seu carnifices, maxima cognomenti quod etiam ideo multis seculis retinent, gloria ac commendatione nuncuparunt. Et hic noster Verdugo Caluinomastix in hoc prælio vt statim dicemus fuit.

N. 103. In ala phalangis dextra erat Gautscherius ille, de quo superius, ac turmæ aliquot Walstein sub Vicario Colonello Lamothe, veterano, forti, pio, ac sub Torquato Comite altero Vicario Colonello illustri. In eiusdē sinistra equites de la Croix & Montecuculi erant.

N. 104. In sinistra phalange legio erat etiam duplex Breineri & Tieffenbachij, quibus alam sinistram addebant Don Balthasariani sub Vicecolonello Philippo de Areycaga, y Auendaïno, Hispani pectoris & vero Biscaini, vt statim videbimus herœ.

N. 105. In media acie Neapolitanorum sub præfecto castrorum Carolo Spinello, de quo superius, alæ erant ex equitatu Damperij & Lebell.

N. 106. In postremæ aciei phalange dextrâ ex legionibus Ducis Saxonix & Comitis Nassau, ala erat rursus ex equitatu Damperij, & in phalange sinistra (ex legione

Fugge



Fuggeri & Quatro-cohortanis) ala constabat ex equitibus Florentianis.

Latius propemodum aciem in charta expandis, quàm explicita in campis fuerit. Nesciebam Buquoij manum tam parvam fuisse. Bauarus certè numero superior fuit: nam cum Panegyrista Monacensis refert supra 14. millia morbo absumptos, eos etiam in demortuorum numero putat, qui post prælium duorum ferme mensium spacio assiduis funeribus in libitinæ censum venére; venére autem plurimi. Admodum autem etiam hoc loco Buquoium laudas à disciplina, qui tam multos summo periculo instante ab exercitu panis quærendi causa abfuisse scribis.

Polonos in tertia acie Cæsariana & quidem intra medias phalanges constituis; ipsi sanè neque in dextris, neque in medio constitère, sed ad læuam omnium postremi imperium obseruarunt.

At verò, mi Peregrine, ne porro Tillium nîmij arcani accuses, quasi nulli voluerit notam suam aciem; en tibi eam ego in ordinem cogam, vti iudicium pro peritia tua bellica ferre possis.

Ergo eam scias fuisse in quinq; partes ferme tributã. In prima constitère legiones duæ; Colonellus Paurius læuam, legatus Floreuil cum Lotharingis dextram tenebat.

Secundam expleuère tria equitum agmina, ita diui-



sa ut ab utroq; cornu latius duo excurrerent, ac medium duarum in acie prima legionum interuallo obuenteretur. Singula quinque equitum signis constabant. Sinistrum regebat legatus Ennetten, medium Lotharingus, dextrum Crazius.

Tertia acies ab lateribus haud multum secundã excedens, tribus erat phalangibus visenda, sinistram curabant cum suis legionibus Colonelli Schmid & Ruuil, mediam Herlebergerus, dextram Haslangij & Comitiss Sultzij legiones.

In acie quarta tria equitum agmina visenda: primũ à sinistris duarum in antecedente ordine phalangium intercapedinẽ complexum, Harfello ductore consistebat: Alterum sub præfidiario Serenissimi Principis Duce Benedictheusero interuallum mediũ & tertij membri in acie tertia obseruabat. Tertium Baro Papenheim interuallo aliquanto remotiore ad dextram continebat.

Demum Dux Bauarus ipse Buquoiusque,

Extra ordinem ad sinistram exercitus nostri partem separato ordine Poloni in equis imperium expectabant.

Superârat iam montem cum equitibus suis præfatus Grien & trecenturio Saniulianus, consistebantque obliqua serie ad dextrum hostilis exercitus cornu.

Albertus Comes à Wartenberg cum Croatis ad ponticulum obseruabat.



En Peregrine ideam aciei Bauaricæ, & si vis quoniam peregrina Peregrino allubescunt, cū Buquoiana confer: densiores apud nos phalanges, equitum potissimū: raræ tuorum alæ, & in plures manipulos dispersæ, atq; ideo pulsu faciles, vti in ipso pugnæ initio compertum, cum valentioribus hostium turmis cederent. Velitationibus hi ordines seruiunt: vbi toto aciei molimine certatur, conferti cunei & violentiæ illatæ obsistunt & obsistentes obterunt.

N. 107. Tormenta vtrinq; fulmina iactant, hostilia haud magnas strages dedere. *Nostra, inquit Peregrinus à dextris solo terrore sinistram hostium cornu spoliarunt mille & quingentis Hungaris, ne quidem strepitum tormentorum patienter ferentibus, ut relationis hostilis quarta pars referet, quam iam inseram, dum interea auiti castrorum præfecti audituri, quod imprimis optabant, ad Buquoium progrediuntur.* Quia Buquoiani dextram tenebant partem, idcirco sola eius partis tormenta apud Peregrinum insonant, & Hungaros pauefactos loco pellunt. Vanissimus nugator es, Peregrine, & interim doctorum tuorum testem laudas auctorem relationis hostilis. Audiamus illum pro gloria Bauarorum scribentem.

*Relationis hostilis 4. pars: de sententiarum discordia, inobedientia, ac terrore inter suos.*



N. 108. Anhaltinus, inquit, visis separatim à cæteris aliquos legionibus, omnino succidere optavit, sed obstiterunt alij asserentes subsidio reliquos repente adfuturos & prælium originem inde habiturum. Rursum videns exercitum Cæsarianum valentiosem à sua dextra, ad subsidium suarum copiarum oppositarum mille quingentos Hungaros destinare voluit, sed illi hostilibus tormentorum telis in illam partem emissis territi, quantumcumq; iussi minimè obtemperarunt. Multorū sententia discrepantes tum audiebantur de prælio non futuro, vel certè eo die non futuro, & è contra. De solo Buquoio an adesses anxius videbatur Anhaltinus, neque id semel ore agnovit. Cum tamen præter opinionem videret aduersarios præ se ferre congregiendi desiderium, commendata sinistra parte Hollochio, voluit dextra ipsemet præesse.

Huc sis, Peregrine, & specta Cæsarianum exercitum (exercitus Cæsareus appellatur ab hoc auctore Bauaricus & Buquoianus, quia vterq; pro Cæsare & Cæsaris auctoritate belligeravit) ad dextram Anhaltini. Qui fuerunt obuersi dextræ Anhaltini? Bauari; nam sinistrum cornu in Cæsariana acie curabant. Si igitur valentiores cæteris erant & formidabiliores Anhaltini iudicio, ideo vt & ipse firmior esset, ea in parte quam sibi tuendam susceperat in subsidium vocavit Hungaros imperiū spernentes ob emissa tela in illam partem. Quæso in quam partem? an non in eam vbi Anhaltinus stabat? ita opinor. sed illa non erat opposita tuæ tuorūque dextræ, quomodo ergo in illam partem emissa tormenta sunt, an per obliquum directa parcebant proximis, vt damnum inferrent remotioribus? Dein nescio an verum prodas,  
cūm



cùm inquis, nostri solo terrore sinistram hostium cornu spoliarunt mille & quingentis Hungaris: Quos Hungaros intelligis? scio quosdam, qui neque per imperium supremi ducis Anhaltini pertrahi eò valuerunt? Auctor relationis dicit, *quantumcumque iussi minimè obtemperarunt*, nempe vt transfirent ad cornu dextrum Anhaltini, quod erat nobis sinistrum.

*De solo Buquoio anxius, an adesset*, inquit auctor Relationis, non quod tantopere timeret Buquoium, sed quod ipso absente metueret sibi cum Duce Bauaro præliandum, quod neutiquam optabat. Non enim nescius erat Buquoium ad pugnam non nisi cum certa victoriæ exploratione descendere, atque idcirco spe alebatur Bauarum, pugnae cupidum, absentium iri à Buquoio, quem sæpius à se laceffitum in Austria & Moravia confinio elicere non poterat. Et quod solùm prælij necessitatem timeret Anhaltinus manifestum efficitur ex verbis illis, *Cum tamen præter opinionem videret, aduersarios præ se ferre congregandi desiderium commendata sinistra parte Holochio, (aduersus Buquoianos) voluit dextra ipsemet præesse, aduersus aciem Bauaricam, quam valentiolem viderat, & ea re maiorem gloriam sperauerat.*

N. 109. *Nunc ad prætorium pedemontanum vbi exercituum Imperatores in media præfectorum omnium castrensiu corona, agebant, audituri, quid dicatur, abeamus.*

N. 110. *Modestia & humilitatis pugna fuit inter Bauarum*



ac Buquoium uter verba esset castrorum praefectis factururus, uterq; multa contra se & pro altero ut provinciam susciperet in medium attulit. Ille de re militari Buquoio, hic de summa negotij Bauaro dicendum ac definiendum, contendit: ille adiutoris non ductoris, hic maiori obsequentis non praecipientis suum esse officium asseruit.

Vel filere debebas, Peregrine, vel rem ex vero narrare; putent tua verba & vanitate & ambitione non tam tua, quàm aliena. Serenissimus iam eò prouectus erat, ut quod vnicè vouebat praelio decerneret; nec cogitabat porro an fortuna tentanda, sed quomodo superanda: Et quidem in tempore: acies enim nostræ ictibus tormentorū hostilium patebant non sine aliquo moræ periculo, quod nulla consultatione vinci, poterat augeri. Buquoius multa longo usu edoctus hærebat anceps, nec propendebat in praelium. Ergo multa protestatione usus, Bauaro explicare ancipitem pugnae fortem, verti in ea domus Austriacæ incolumitatem, imperij salutem, vno praelio amitti posse, nullis praelijs recuperanda. Atque in eiusmodi sermonibus persistenti Buquoio permisit Serenissimus ut Cæsarianorum coacto ducum cœtu consiliū iniret. de suis neminem accersuit, præter supremū legatum Tillium frementem atque indignantem se à certa victoriae spe, & inchoato iam ac prospero congressu cum hoste pauido ac trepidante per vim abstrahi ad noxiam & intempestiuam consultationem: aduenerat fortè (neq; enim ad concilium accersitus erat) etiam Baro ab Anholt

Gene-



Generalis apud suam Serenitatem Vigiliarum præfectus, Imperium à Principe accepturus. Igitur Buquoianos noluit Princeps alloqui, & quia ad prælium obstinauerat, & quia interpretem Buquoij cunctantis agere pro sua existimatione nõ censuerat, neq; etiam callebat Buquoiana argumenta contra prælium; pro prælio sua habebat. Deinde quod Buquoius in medium attulit, suo ex cerebro fecit: Principis in ea re non erat Buquoium oratorem constituere; & ausus aliàs fuit Buquoius, ne ab imperijs Bauari pendere videretur suos in coronam vocare, non reuerita maiestate Principis exclusi; hîc verò & Principem voluit præsentem & Principis nomine omnia proponi, vt si adducere minores duces potuisset in consensum omittendæ pugnæ, auctor sententiæ apud totam Europam inuisæ videretur esse Princeps. Quæ cum ita sint, non est quod tantam modestiam Principis vendites, quasi honorare Buquoium voluisset silentio: tu certè dum Buquoium æquare Principi contendis, tuæ ipsius technæ ignarus deijcis, inducis enim illum asserentem obsequentis non præcipientis suum esse officium: fatetur ergo ipse Buquoius Principis imperium suo fuisse maius. Pergis tu, *Sed post ancipitem disceptationem dicendi onus volenti volenti tandem Buquoio incubuit.* Anceps scilicet disceptatio fuit, Peregrine: miror ferro non esse diremptam litem.

N. III. *Oratio Buquoij instante prælio Pragensi.*

Sere-



Serenissimus Dux Bavaria convocari vestras dominationes fecit, ut de hac congregandi occasione, quid sentiatis intelligat. Sententia sine dubio vestra erunt in bonum Religionis, Imperij, & Augustissima Domus Austriaca. Vnum est praesupponendum: praelium esse exercituum munus supremum, proindeque non nisi debitis circumstantiis subeundum. Nunc vero per inconsiderationem, praeter ordinem à me praescriptum, in tantas angustias perducti sumus, ut prima aciei nostrae forma effecta sit irrita, & nos hostibus ita obnoxij simus, ut ferè necesse sit manus cum illis conferere suo arbitrio; non visis ratione montis, quibus lorice aut munitionibus, quibusue copijs, aut quo ordine sint muniti. Unde factum est, ut quidquid virtute milites nostri hostibus praestent, tantum loci iniquitate hostibus accedat. Dicant ergo Dominationes Vestrae suam quisque sententiam. Quod ad meam attinet, ita iudico; mutata prima forma, pugnandum esse cum quatuor phalangibus, binis Imperialium & binis suae Celsitudinis militum; idque magis ad dextram, ut inimici ex improviso aciem quoque suam redigere in novam formam cogantur. Mihi non desunt iustae de his rationes, nunc tamen brevitatis causa reticenda. In primis ad dextram deflectendo facilius in planitiae pares erimus hostibus & plura eorum tormenta aliter disposita, reddemus prorsus inutilia.

N. 112. Hae Buquoij de verbo ad verbum ex autographo unius Colonelli tum praesentis & scriptum suum benignè mihi communicantis.

Hanc orationem de verbo ad verbum Buquoij fuisse, tu hiberna tua eloquentia non persuadebis. Quæso te, quid autographi fuit illius Colonelli? excepitne Buquoij loquentis dicta in castris? calami loco fortasse cuspidem halabardæ aut virgam imperatoriam usurpavit. Dices memoriae condidisse, & post praelium chartis mandasse. tam firmam memoriam laudo in milite, sed non credo.  
de



de pugna & regendis corporibus cura, animos tum occupauerat; nulla poterat esse memoriæ ratio. Neque verum est, Buquoium deflexionem ad dextram suasisse, ut ab ea parte certamen contraheretur, sed voluit ipse vitato hoste ad ciuitatem contendere, quod militarium virorum iudicio improbum visum, nam cedentes ordines nostros longo viæ spacio tormenta facilè lacerassent & ex latere relictus hostis tendentibus fuisset exitiabilis, nec superabat alia facile ratio, quam aut pedem referre cum summo discrimine aut pugnam fortiter committere, ad quam tandem Buquoium Princeps adegit.

N. 113. Comparat Peregrinus Buquoium Fabio & Cæsari, illum refert, consilio ut non temerè congreduatur, hunc verò audacia, ut hostem opportunè superet. Sed velim mihi Peregrinus denarret, quam audaciam in hoc prælio Buquoius ostenderit. ex oratione claret, quàm agrè ad manus voluerit exercitum venire. In ipso conflictu euentum pugnae in curru expectauit, cum interea summis in periculis Tillius Serenissimi Ducis Legatus acies committeret, cedentes stricto ense susteret, subsidia submitteret, iuberet, animaret, inter ipsos telorum imbres, ut suis laborantibus adesset, volitaret, & strenui ducis pro veteri gloria munus obiret.

N. 114. Cateri verò vix ceperant ordine loqui, cum à Torquato Comite nostri ordines à tormentis hostilibus plurimum percelli dicerentur.



*tur. Ait ergo Buquoius: Nunc ergo dextris, non linguis utamur. Sit nomen Domini benedictum, eatur in hostem. Qua voce semel audita non maior unquam fuit canum sagacium feras persequentium, quam uniuersorum militum ad congregandum cum hostibus, alacritas. In ventum peroras, Peregrine, & dicenda prius fingis; facta decebat dicere. Concilio non interuenit Torquatus Comes, sed Vice Colonellus laMotta, qui retulit locum pugnandi tam iniquum non esse uti à quibusdam habebatur; tormenta quidem cladem inferre primò posse, sed impetu euadendum. Pugna igitur auctore Principe nostro, suffragantibus plerisque Cæsarianis, decernitur. Itaque Buquoius victus obsistere desijt, ac Tieffenbachio exercitum suum permisit vulnere detentus in curru.*

*N. I I 5. Iam tuam fidem, Lector benigne, compello, an non mordacium inuidorum insana fuerit malignitas, qui Buquoium hæc dicentem ac facientem susurrando fecerunt inuitum ad confligendum, certo enim certius est, neminem potuisse esse promptiorem. Omnino Buquoio iniuriam facit, qui dicere audet eum inuitum ad canentia classica deuenisse, qui fidem tuis dictis habet; sed nos omnia audimus, non omnia probamus. Non nisi extremo consilio motus conflare Buquoius sustinuit. Calcar certè addendum etiam à P. Dominico Carmelitano erat, qui distractos sententiâ duces & Buquoium cunctantem his vocibus interpellauit. Ego neque rogatus, neque vocatus ad concilium accedo atque idcirco confidentie mee veniam peto & confidere vos inbeo, pugnamque capessere. Audiamus Peregrinum.*



grinum. Hinc nomini Domini, cum in modum Buquoius benedixit, quòd eò tandem rem adduxisset ut pugna vitari vix posset. Hinc iusjurandum interposuit ante aliquot dies, me audiente, prima data occasione, quæ non esset prorsus iniquissima, se cum hoste conflicturum.

Extendentem manus Buquoium, laudantemq; Diuos ob datam prælij occasionem vidit Peregrinus, sed non vidit Liechtensteinius tormentorum præfectus, qui obiurgatus non leui brachio à Buquoio fuit, quod contra præscriptum exercitum suum longiùs duxisset. Et credo destinasse animo Buquoium prima occasione cum hoste congredi, sed occasionem intellexerat sibi commodissimam, hosti iniquissimam, quam Anhaltinus in magna apud Peregrinum bellicæ peritiæ gloria nunquam obtulisset. Hinc non obstante, pergit, vulnere molestissimo, fugientes rebelles noctu insecutus est, præmisso Gautscherio ad eos distinendos, donec inuadere illos posset. Quæ eius præmittendi providentia felici successu (inde enim Hungari amissis equis non solum turbati, sed sui totius exercitus turbatores fuerunt) non tam initium quàm magna pars totius victoriæ fuit.

Gautscherium præmissum ad distinendos hostes, ut concidi à Buquoio possent, vero repugnat: nam Buquoius omnia alia quàm pugnam volebat, neque ducenti, aut si vis trecenti Ungari per somnolentiam cæsi adeò turbarunt exercitum hostilem, ut terror ille initiû victoriæ fuerit.

N. 116. Sit nomen Domini, inquit Buquoius, benedictum.

K 2

Pias



Pias has voces à Buquoio prolatas non abnuo, sed nescio an aliæ quàm Peregrini aures perceperint. Ego in propinquo surdus fui.

N. 117. Serenissimæ Bauariæ Ducis Elisabethæ assiduas preces ex Panegyrico Monacensi commemorat.

N. 118. *Tieffenbachio cum lachrymis efflagitanti dantur prima partes.* Fortissimum virum fortia patrandæ efflagitasse nullus dubito. cum lachrymis efflagitasse tantum heroëm, vt credam non adducor. Lachrymis mulieres supplicant, non viri.

N. 119. Recitatur fragmentum relationis hostium, in quo suam ipsi cladem describunt, fatenturque ingentem in exercitu suo consternationem fuisse, Anhaltinus & Holochius ad finem restitere, equo Holochij interfecto, simul & cunctis nobilibus ad solos duos sublatis & fauciatis. Iuuenis Anhaltinus, Stubenuol, Stirum & Comes Schliek sese viros præstitere, reliqui omnes turpi fuga se subduxere.

N. 120. Peregrinus Valonizatus Valonibus in pugna primas defert & Momum iudicem appellat, nescio an Momum tribunal, ipsius tribunal sit.

N. 121. Argumentis aliquot euincere contendit Valones primam coronam meruisse. Locati fuere à dextris, igitur primum honoris locum habere censentur. Manifesta est hæc consecutio ex Liuiio (locum subicit Peregrinus)



grinus) Dictator dextro cornu, Capitolinus sinistro intulit signa. Iterum In dextro cornu Romanos locat, in lauo cornu socios. Nihil agis, Peregrine, locus non honorat militem, sed miles locum; nec perpetuò Dictatores aut Consules dextrum cornu tenuere; sæpe ipsi in hostili acie hostem expetebant, & contra hunc stabant, quocunque in cornu. Pompeius certè, si quis alius Romanorum, honoris memor in Pharsalica pugna, qua respub. Romana concidit, sinistram partem regebat. Erant inquit Cæsar, lib. 3. de ciuili bello, in sinistro cornu legiones duæ transditæ à Cæsare initio dissensionis ex S. C. quarum vna prima, altera tertia appellabatur. In eo loco ipse erat Pompeius; mediam aciem Scipio cum legionibus Syriacis tenebat. Vides Peregrine summum Romanorum ducem in sinistro cornu. Cæsar in hac ipsa pugna contra Pompeium constitit, nempe in dextro cornu, staturus in sinistro, si Pompeium in dextro conspexisset. Sed neque Romani semper in dextra acie, & socij in sinistra: nam apud Liuium dec. 3. lib. 10. Scipio cum Hannibale congressurus Lælium cuius ante legati, eo anno Quæstoris ex Senatus Consulto opera utebatur cum Italico equitatu ab sinistro cornu, Masanissam Numidæque à dextro opposuit. Ibi laxior honoris campus, vbi fortior acies aduersariorum; quam & hanc talem iudicauit Bauaricam Anhaltinus, idcirco in illam impetum fecit.



Sed cur Valones, inquis, qui erant à dextris præ  
 cæteris laude licet dignissimis in hoc prælio laudantur?  
*Id libenter dicam, ne iustam quorumcunq; inuidiam meritò incurram.*  
 Imò verò, mi Peregrine, inuidiam à te amouisses, si si-  
 luisses; loquendo illa te oneras: omnis excellentia inter  
 pares odiosa est, præsertim si sententiam ferat, qui pa-  
 rum intelligit. audiamus tamen te ratiocinantē. *Inprimis,*  
*inquis, quia plures ac præcipuos hostium sibi dedito studio oppositos, idq;*  
*breviori tempore fuderunt, fugaruntque.* Quot hîc linguæ cri-  
 mina Peregrine? Structa iam erat hostium acies, ante-  
 quam tui Wallones ponticulum de quo supra, supera-  
 rent; nec Anhaltino constabat, qua parte locandi Wal-  
 lones erant, quomodo ergo præcipui hostium dedito  
 studio fuere ipsis oppositi? Dein nulli fidem facies An-  
 haltinum tam albæ mentis fuisse, vt Hollachio militiæ  
 suæ robur in sinistro cornu permitteret, ipseque debilio-  
 re cum agmine fortius agmen Bauaricum sibi desume-  
 ret impugnandum. At & citiùs fugarunt hostem, in-  
 quis, Wallones; oculum testem sine dubio hîc non ci-  
 tabis, quia ille tam propinquus non fuit, vt conspiceret  
 sanguinem. Alterum tuum pro principatu Wallonum  
 argumentum est, *Minimum non cesserunt,* ita loqueris, mini-  
 me latio sermone. Fuerunt & alij, qui ne latum qui-  
 dem vnguem cesserunt, nihil ergo eximij Wallonibus  
 tribuendum. *Tertio, inquis, quia opimio rem prædam retulerunt;*  
 da.



da veniam, Peregrine, in cachinnos erumpo. Wallones præcæteris in hoc prælio laudantur, quia plus de prædati sunt? illustrioris gloriæ arbitrabar hostes ferro cædere, quàm cæsos spoliare. Lixæ & calones, contemptissimum exercitûs agmen, præda sese onerant; miles, cui virtus ante alia, in aduersam aciem obtutum figit, ferrum rotat, & opimam sibi paratam prædam censet, si victrici dextra hostem sternat aut fuget. Inspiciamus verò prædam Wallonicam; Principem Anhaltinum, tria prima tormenta, & periscelidem Friderici. Macæ; & ceruos ego velocissimum cursu animal capere possum, si quis sit, qui genua currentis succidat. Iacuit Anhaltinus, meliore religione & fortuna dignus iuuenis, ex equo decussus & vulneratus parabilis sine sanguine præda. Prima autem tormenta in potestatem Wallonû venisse, nescio quam verè asseueres, oblitus fortasse abs te in prælio Pragensi scriptû. *A sinistris, Bauaricus exercitus egregiè instans fortalitiu sublimius suis fugatisq; hostibus expugnauit duòq; tormenta (tria erant) acquisiuit.* Hæc tu ibi: Sed quomodo tua fuere prima? quos laudas testes? In confesso est, tormentis à Bauaro ademptis magis ac magis concidisse hosti animos. atque hæc ego non eò adfero vt quidquam decerpam de laude Wallonum, quos certum est fortissimè dimicasse; necessarium tantùm existimaui prodere quàm ridiculas causas Peregrinus proferat; optimè se Wallones gesserint; pessimè laudantur.



N. 122. Gautscherius & La Motte bellatores rem gerunt; Mekau dum subsidio est hostemque cædit, cæditur: Poloni in fugientes missi, Moldauam præcipitatis Hungaris implent.

N. 123. In sinistram Buquoianorum alam hostes incurfantes Philippus Areyzaga Hispanus repulit, Petróq; Barannano de Aguirre vexillum violentia aduersariorum, confosso signifero, ereptum restituit; quatuor alijs egregia vindicta hosti ablatis. Laurentius Medices dux impiger tormenta palatio stellato proxima occupat.

N. 124. Hostes tria vexilla Buquoianis abripiunt, Colonellum Preinerumprehendunt: sed falsum est ab alio, quam à Crazio repressum Anhaltinum in Cæsarianos grassantem: Iuuat tamen tua postrema verba audire.

*Deinde, ais, suos commilitones Vallones qui iam longius erant progressi, fuis fugatisque ab omni parte hostibus, secuta est phalanx sinistra Germanorum generosè admodum repugnantium, vimque illatam ulciscantium.* Agunt tibi non paruas gratias Germani Buquoij sacramento addicti ob tam insignem laudem; secuti sunt illi Wallones, qui iam fuderant, fugauerantq; ab omni parte hostes. Quid ergo Germani præstitere? generosè repugnarunt. contra quos, inepte Peregrine? fusi & fugati ex omni parte iam à Wallonibus hostes erant. contra umbras fortasse & larvas Germanis prælium fuit? tu tanquam larua loqueris.



N. 125. 126. Inuehitur Peregrinus in genus quoddam hominum, qui castra sequuntur lucri, non dimicationis causa. Hi cum vidissent, quosdam de nostris cedere, nunciarunt Principi & Buquoio fugam: ergo equis vterque fugientes sisturus aduolat, sed inuenere suos vincentes.

N. 127. Ultimi hostium in quodam sinu non procul Stellâ maectantur ab 300. Neapolitanis, qui, Peregrino teste, dum pugnaretur, in subsidijs permansere.

N. 128. Ad palatium Stellam eiusque saltum narrat multa millia confugisse.

N. 129. Sistit Buquoium Peregrinus immoto vultu in hostium castris.

N. 130. Hæc scribit, *Accessit ad illum Buquoium primus, Baro Merod de Vvarroux significans vniuersos, qui in saltu, palatiog. essent, dedere Buquoio se velle.*

Publicè notum est trepidos hos & lanienæ proximos ad Bauariæ Ducem misisse, misericordiam postulantes. An etiam Buquoij clementiam sollicitarint mihi non constat, & Peregrino ægrè assentior.

N. 131. Ex sedecim vexillis ad Stellam traditis, Princeps fuit regium, in quo erat, ait, Peregrinus, sphaera cælestis cum hoc emblemate. *Diueri nescio.* quod emblemata sensu planè peregrino Peregrinus explicat; ego me tantam sphyn gem non profiteor.

N. 132. Maior lux cerebro Peregrini orta illucet, nam

L

vbi



vbi in alio vexillo Peregrinus legit, *Bona causa tandem vincit*: Ergo ait, *vincentis Ferdinandi bona est causa*. Ratiocinatio ista non mala est, sed sermo politicus non est, Cæsarem appellat haud aliter, quàm si mediastinum suum appellaret. quis est iste Ferdinandus?

N. 133. Circumfunditur Buquoius vincentium coronâ; adferuntur vexilla, adducuntur captiui, ostentantur spolia, monstrantur etiam vulnera. remunerantur signiferi.

N. 134. Gratulatur multa cum virtutis commendatione Buquoius Guilelmo Verdugo eximio Colonello.

N. 135. Idem benevolentiaë genus confert in Preinerum, qui vno prælio non victus solùm, sed captus etiam, & victor fuit.

N. 136. Etiam Tieffenbachius aliique duces encomio Buquoiano condecorantur.

N. 137. Mandat Buquoius, quæ per noctem fieri velit, Polonosque trajcere fluuium, ad insequendos fugitivos iubet.

N. 138. Buquoium per 24. horas cibo abstinentem & iamiam cœnare incipientem, *Inter alios, vnus*, inquit Peregrinus, *deinde alter interpellator tubicen pratensi regis literas à nescio quibus Anglis legatis attulit, quibus à Bauaro ac Buquoio expetebant, ut sibi aures benignè accommodarent; media aliqua proposituris, ut omnia si Dijs placeret, commode transfigerentur; sed eos nullo responso dignati illi sunt.*

Quæ



Quæ prima verba tibi linguam pulsant, ea emittis Peregrine. In aperto est ad Bauarum Anglos misisse, apud Buquoium tu fortasse tubicinem egisti super mensa: & quis tibi in aurem susurravit Bauariæ Ducem non respondisse legatis? respondit is certè, & quidem ea moderatione in tanto victoriæ cursu, vt Angli humanitatem eius in cœlum ferrent.

N. 139. N. 140. Consilium Peregrinus Anglis imperit, ne fraude bella tegant.

N. 141. De numero cæsorum, ait Peregrinus, etiamnum incerti sunt rumores. Et qui primò fuit apud Candidum Eblanium in suo prælio Pragensi, aliòsq; de eodem scribentium certior rumor, de quinque millibus hostium occisis; iam die diei eructante verbum duplo ferè minor, quam hostes ipsi desiderari agnoscunt, passim censetur. Ad nouem enim millia cadauerum sepulta non pauci sunt, qui se literas Praga scriptas vidisse affirmant.

Candidus Eblanius eximius scriptor Constantio Peregrino dinumeravit acie cæsorum funera; & ita testimonio Constantij Constantius affirmat, sed admodum inconstanter. In suo excuso prælio interfectorum quatuor millia pronunciat, iam cum numerum augere contendit, per imprudentiam minuit, ait enim, iam duplo ferè minor censetur; ita vix duo millia succubuisent, cum tamen referat ex aliorum literis Pragæ nouem millia fuisse terræ mandata.

Recenset post hæc illustriores hostium, qui in hac



pugna cecidère; & quia ego alium syllabum non vidi, Peregrinum non accuso, sed neque probo.

N. 141. Epaminondas cuidam obijcienti, inquit Peregrinus, quòd Agamemnonis gloriam amularetur: falleris inquit. Nam ille totius Graciae praesidijs usus, decem annis nunquam cepit urbem, ego vno die profligatis Lacedaemonijs, totam Graciam liberavi. Ita planè Buquoius hoc vno praelio Pragensi totum orbem Christianum à Calvinistarū insidijs non tantum liberavit, sed Christianos Principes, ut inuisum Deo ac hominibus perduellium genus, facillimè excindant, debellato coryphaeo, euenatisque eorum ubique aculeis, armauit.

Nesciebam adulationem tam bene perorare posse; itane Buquoius vno praelio totum orbem Christianum liberavit? vniuersus orbis Christianus haud quam periclitabatur; & tuus Buquoius tantus liberator esse noluit, cum pugnam detrectauit, Bauari enim sententia tenuit, vti armis decertaretur. Pulchrè autem Peregrinus postquam omnè ferè belli laudem in Buquoium transfudit, etiam cum Bauariae Duce particulam communicat ait enim, *Sed non soli Buquoio.*

Inuide scriptor! æquas tu in victoria Pragensi cum Bauaro Saxonem, Spinolam, & Velascum? magna illa quidem sunt nomina, sed ad praelium Pragensè nihil operæ contulerunt: aliunde hi duces illustres sunt; nullam famam Pragensis pugnae deponunt. Ita Bauarus auctor praelij, qui primus hostem inuasit, qui supremus dux totius exercitus fuit, praelio praelens, Peregrino censore nihil habet,



bet, ut Buquoius omnia possideat, qui non solum in Bohemia palmam tulit, sed etiam in Austria superiore, quam nunquam armatus intrauit, nullam casam euertit; *ut neq; Buquoius, ait Peregrinus, debita sibi laude spoliandus, à quo in Austria detinebatur præcipuus hostium exercitus, cum in superiorem Bauarus, in Lusatiam Saxo Elector, in Palatinatum Spinola penetrauit.* Itaq; ubiq; particeps gloriæ Buquoius est, etsi non ubique periculi. Cuius verò mandato tamdiu Buquoius exercitum in Austria inferiore detinuit? Eijcere noxium prouinciæ hostem iussus erat; quod si præstitisset, plus gloriæ meruisset: quanquam Buquoius ab hoste potius detentus fuit, & liberatore Bauaro eguit. Finit Peregrinus numerum hunc pulcherrima sententia. *Singuli, ait, complicum totam sibi suarum victoriarum gloriam, nulli totaliter, seclusis alijs iure sibi deposcant, uti verba inquinata, ita & iudicium.*

N. 142. *His semel dictis ut inuidia omnium quoad liceat, occurrerem, aio iterum Buquoium in Casareo exercitu (primas in hac victoria citra controuersiam obtinente) principem militiæ.*

In exercitu, quem duxit, Buquoium principem fuisse nemo inficiatur; sed totius eum exercitus Cæsarei ducem fuisse Peregrinus nullus euincet. Bauaro id honoris à Cæsare cuius auspicijs hoc bellum gerebatur, tributum fuit, & verum est ad Pragensis prælij famam cæteras terras demisisse cristas, respectarèque cœpisse veterem dominum, atque ita sicut penes Principem Bauariæ præcipua laus fuit deuictæ Bohemiæ, sic etiam submissio alia-



rum terrarum, quæ se se dedidere, ne paterentur, quæ trillisse audissent Bohemos, memorabili Bauari prælio adscribi debet. Tu autem Peregrine hoc modo occurris inuidiæ? ais palam, exercitum Buquoianum primas in hac victoria citra controuersiam obtinuisse. hoc est inuidiam conflare, non amoliri: non est tuum censorem militare agere. In prælio Pragensi, hoc est, in libello tuo priore refers Bauaros egregiè pugnasse, fortasse tui Wallones plusquam egregiè pugnarunt, certè tu plus, quàm egregiè scribis, modò crederetur. Ridicula verò tua est iactantia. *Hungaria nostro semel, si non prius, conspecto exercitu supplex fiet.* Tertium iam mensem Hungaria vestrum exercitum conspicit, & nec tamen vllum supplex genu ponit, conspicietque adhuc tertium, si Buquoius Fabium agere pergat.

Sed agedum superest tibi aliquis in corpore sensus? Quomodo hîc vnum Buquoium exaltas? vnum illum omnium terrarum victorem inuidioso encomio effers, oblitus quæ in prælio Pragensi scripseris? *Nobilissimum inquis eo loco, prælium fuit, in quo Augustissimus Maximilianus Dux Bauariæ Imperatorum multorum propago & singulorum propinquus in propria persona, spretis incommadis castrensibus, & belli periculis, Principum confæderatorum copias Pragam vsque duxit, & verò introduxit ea celeri felicitate, ut iure possit dicere, veni, vidi, vici.* Hæc tu ibi, parum consentientia cum his, quæ hîc collutulas.

N. 143. Gaudium bonorum & dolorem Calvinistarum

cx



ex hoc prælio perceptum commemorat. Inter dolores autem, qui præcipuum locum tenuerint, scribit ipse Peregrinus his verbis, *Proxima autem, ait, mæroris partes regi Magnæ Britannie non sunt deneganda. Ille enim de clade Friderici factus certior, galero in terram proiecto, abdidit se aliquot dies desflens generi filiaq; vices, & spes Calvinistarum funditus collapsas. Sed in eo melius illi, quàm Bullonio Friderici auunculo stetit animus: quod hic dolore confectus viuere desierit, ille verò superstes temporis obediens non rennat. Principis verò Mauritiij in nepotem pietas tanto cruciatus maiores experta est, quanto exaltatione Friderici exultabat spes ipsi, absoluti in provincijs unitis imperij obtinendi valida nepotis subsidio.*

Quia Peregrinus oculatum testem propè omnium sese vendidat, auerem scire, an Londini vidisset excandescentis & frementis regis mores, cùm pileum in terram affixit, ob infaustum nuncium: Bullonium certè vidit mortuum, cùm adhuc hodie in viuis agat: ita fabulas scribit & historias nominat. Sed & interiora Mauritiij intuitus, sensa mentis eius arcana nobis explanat, recepturus rei patefactæ præmium ab ipso Mauritio, vbi locus & occasio feret.

N. 144. In luctu quoque Bethlem Gabor iacuit, ideo sustulisse dicitur, ait Peregrinus, è medio, quotquot è prælio primi fugissent capitanei Hungarorum. Mihi de hac laniena nihil compertum, si fecit, inter occidendos vnus omissus fuit Gabor.

Hoc eodem numero enumerat speciatim peremptos

ptos



ptos è Buquoianis Peregrinus; & ne quis illum interroget, cur Bauaros omittat, causam reddit, *De Bauaris*, ait, *occisis demto uno vel altero eminus à tormentis, nihil indagine quacumque comperi. Sauciatus verò quam plurimis vulneribus fuit Dominus Pappenheim (Papenheim debebat Hibernus dicere) celeberrima fortitudinis, & alij aliquot inferioris notæ.* Indagine non erat opus præsentis & videnti, Peregrine, cum alia oculis videris, cur non & stragem Bauaricam? fateor ipse non multos desideratos, sed non ideo segnes in pugna fuere, nam ipse affirmas, in Pragensi prælio Bauaros fortiter rem gessisse, ais enim, *A sinistris Bauaricus exercitus egregiè instans fortalium sublimius fuis fugatisque hostibus expugnauit.* Ad decus & famam Bauarorum pertinet strenuè pugnasse, & paucos amisisse, nam cadere gloriosum est, non cadere. Omnino iudico Diuorum auxilio euenisse, vt è Bauarianis pauci succumberent; vulnerati alioqui plurimi fuere, & audio ex præcipuo chirurgorum supra trecentos & quinquaginta sauciatos è Bauaris fuisse. Scire numerum poterat, qui curabat. cruentiorem apud te tuorum aciem, qui volet, apud te contempletur; cecidissent pauciores, si initio pugnae non cessissent.

N. 145. 146. Ais, tuos victores fuisse cum luctu, monesque ereptos ab hoste vt sint grato animo erga liberatores suos.

N. 147. 148. 149. 150. 151. 152. Repetit Constantius



cuius Peregrinus ex Candido Eblanio, hoc est, ex se ipso, quæ in Pragenfi prælio confarcinauerat. I. Hanc victoriam ex Calvinistis Sanctorum hostibus reportatam fuisse opportunam, quod incidisset in octauam omnium Sanctorum: in Dominicam, qua Euangelium præcipit reddere Cæsari, quæ sunt Cæsaris: in vigiliam, ut ipse loquitur, Dedicationis Basilicæ Saluatoris, ut templorum expilatores punirentur: iuxta Stellæ palatium, ut apparet cælitus datam à Principe Bauaro eius diei tesseram, nomen Mariæ, quæ stella dicitur: iuxta saltum ferarum timidissimarum, quibus similes sunt fugiendo hostes. Hæc tua cogitata Peregrine, sed quædam aliorum inuenta; nam tu non primus, qui obseruarit Euangelium illius diei Dominici, quod iubet Cæsari dare, quæ Cæsaris sunt; aliena pluma spectari cupis.

Deinde illustris fuit, censente Peregrino, ob tres aurei velleris equites præsentis, Serenissimum Bauarum, Buquoium, Ducem Croy; ob sex Duces, Bauarum, Croy, Saxonem, quem non nominat, & tres Weinmarienses; ob Principes è quibus vnus duntaxat nomen exprimit, Caroli nempe Liechtensteinij, & præterit potissimum, supremum scilicet aduersæ partis Ducem, Anhaltinum, uti & eius filium, bellatorem insignem. Ob Marchiones, Comites, Barones, aliosque ex varijs terris herôes. Denique iusta fuit, quia obtenta à Cæsare, cui ius in regnum

M

adem-



ademptum. Hæc sunt acumina Peregrini, quæ non capio, quia non sentio.

N. 154. A cœna Buquoij transit Peregrinus ad auroram sequentis diei, quo irruptionem in urbem Valoniæ frustra prohibuit. *Ciues verò, inquit Peregrinus, minoris urbis (constat Praga tribus urbibus, Minore, quæ est pulcherrima, veteri, ac Noua) in tanto periculo sibi sapienter consuluerunt, missis, qui ultro claves offerrent. Et patuit statim proximis nostrorum militibus porta, nullo obsistente.*

Non omnia nosti, Peregrine; audita prælij fama eodem adhuc die Minoris urbis ciues Serenissimo Duci felicem aduentum gratulati sunt, imperium eius, quem locò Cæsaris adesse nossent, accipere parati.

N. 155. 156. Miratur Peregrinus nocte pugnam insequente neminem ex indigenis inuentum, qui pro salute Palatini excubaret, idque adscribit nescio cui Caluiniæ graucolentiæ. imò addit ista, *Iudæi Pragenses pro eorum Caluiniæ extirpatione, ieiunia publica, ut mihi constat, orationesque instituerunt. Lutherani ac Hussitæ de eorum exitio iubilantium more exultauerunt.*

N. 157. *Cùm verò inquit Peregrinus, ex rex nostris adiutum patefactum esse intellexisset: ita inopinato nuncio cum omnibus suis percussus est, ut vasis argenteis omnique ferè derelicta suppellectile (regni coronam frustra auferre voluit) fugam præcipitauerit.*

Non expectauit patefactas hosti portas Palatinus; ubi primum diluxerat, præproperè fugam capeffiuit, portæ demum ad horam octauam reſeratae sunt.

N. 158.



N. 158. In ponte magna est Crucifixi imago, à Calvinistic frustra ad regum expetita: quam ne videret ex regina Palatini vxor interdixit sibi quam diu Praga fuit omni per pontem transitu, Nolo, inquit, balneatorem istum nudum semel aspicere. Crucifixo tamen in ponte proficante, hodie festinans transiit: sublata illi molestia reuisendi crucifixum, ac per pontem ulterius transeundi. Impia hæc, si Angla iccit, regni amissione & exilio luit.

N. 159. Describit Buquoij ad vndecimam in urbem ingressum, & præcipuum eius vexillum, in cuius vna parte legere erat, *Exurge Deus & iudica causam tuam*. In altera sub icone B. Virginis. *Monstra te esse matrem*. sed festiua sunt Peregrini verba postrema, *De cuius Buquoij ad Deum quotidianis deprecationibus ex Terentio dicam*: multa credo reperiuntur in Terentio ad Buquoianas preces pertinentia. Sed quid ex Terentio dicis Peregrine?

*Tu pol, si sapias, quod scis, nescias.*

Ego veriùs Peregrino dicam, Tu pol, si sapias, quæ nescis, scias; alioquin piaculum committes, si scripseris.

N. 160. 161. Serenissimus Bauariæ Dux hora 12. Pragam inuehitur. *Difficile est dictu, inquit Peregrinus, quantis partim encomijs, partim vultus applausu omnium honorum exceptus fuerit. Hic, inquiunt, est magnus Bauariæ Dux Maximilianus sui consobrini Friderici propter Deum oblitus, sui commodi propter commune bonum incurius, suæ etiam vitæ propter fidem ac Ferdinandum Casarem prodigus. Hic est emulationis inueteratæ inter augustissimas domos Austriacam ac Bauaricam, charitate erga Deum, suamq; ecclesiam in sempiternæ necessitudinis fædus transformator. O gratum Dei obsequiũ,*

*Ma*

*bea*



beatum Christianis omnibus gaudium, optatissimum toti imperio beneficium? Nullus in illo post tantam victoriam fastus, nihil felici successu insolens, nihil in toto homine incompositum. In tanta denique vestigio modestia, vultus serenitate, laudum odio, mihi, ne solus tacerem inter tot Encomiastes, quot erant homines, illud Martialis de Nerva Traiano dicendum ei occurrit

*Bauare tanta tibi est recti reuerentia & aequi,*

*Quanta Numæ fuerat; sed Numa pauper erat.*

*Ardua res hæc est, opibus non tradere mores:*

*Et cum tot Casos viceris esse Numam.*

N. 161. Cum Numa enim Basilicarum plurimarum est extructor, tantoque ut in festo Basilicæ Saluatoris Praga potiretur, dignior. Cum Numa, imò supra Numam, Dei purum cultum subditis volentibus nolentibus commendauit. Cum Numa Sacerdotibus, ac sacratis Virginibus numero incredibili domicilia dedit, ac dotauit. Cum Numa denique, seu potius ultra Numam non fanatica, sed Catholica pietate, & iustitia Christiana præfulget, nec opibus aut victorijs mores tradit.

Panegyricum tandem Peregrinus Serenissimo Duci dicit, quo sperat aboleri posse ea, quæ reliquo libro non sine iniuria calamo imprudenti profudit; neque verò hoc loco prudenter scribit, cum nescio, quam æmulationem inter Austriacam Bauaricamque domum inueteratam in lucem profert. Nulla aut huius aut alterius æmulatio in laude est, & tamen vtrique Peregrinus hanc notam inurit; laudare scilicet Peregrinus vituperio solet, laudet & seipsum.

N. 162.



N. 162. Vterque exercitus in acie ex albo colore signum gestavit, quod æmulati ciues Pragenses victoribus albicantes occurrere. Mira sunt Catholicorum studia & officia in hospites, ac potissimum spectabilis est Carolus König à Königsfeld Candidi Eblani conuiuator. Damus aliquid mensis & epulis, Peregrine, vbi bene comedisti, bene loqueris.

N. 163. 164. 165. 166. Buquoius ex morbo decumbit, mandata dat, serioque apud rapacem militem prædas vetat, frustra. Præcipui ducum, præcipui prædones: & ne sinistrè quis suspicetur de Wallonibus, *Habent in exercitu*, inquit Peregrinus, *Germani Præfecti inaudita multa priuilegia præscriptione sola, non verò authoritate usurpata: quibus cum volunt & quantum volunt, veluti liberati à legibus, manibusque ferula subductis, superiori obsistunt.* Nesciebam Peregrine, folis Germanis longas fuisse manus: quanquam & alios adnumeres, sed Germanorū duntaxat discipulos. *Horū Germanorū exemplo alij audentiores fiunt Præfecti à Germanis diuersi. Ex quorum numero aliqui tanquam maiores muscæ, aranearum telis, id est legibus in se quidem, sed non in vulgus infirmis perruptis, deprehensi sunt egregij raptores. In quos Buquoius excandescere solum nullam autem potestatem exercere potuit.* Nobile disciplinæ exemplum, si summus dux militaria crimina plectere non audeat. De Germanorum priuilegijs quod refert nemo capit, priuilegia ad malum nemo dedit, nemo accepit. Si contra vetitum prædas agere consuetudinis est, sit & consuetudinis suspen-



suspendium. Germanorum malè facta non excusant cæteros, si exemplo vtantur, quanquam non arbitror alias nationes egere magistris Germanis; quis est enim in hoc genere indocilis?

N. 167. Omiffa, ait, scelerum Buquoio supplicia, ne maius malū crearet: præstare magna tum crimina, procul à castris cognoscere. Caterum, ait Peregrinus, cū quod vellet Buquoius facere non posset, voluit id quod potuit. Edicto siquidem seuerissimo cauit, vt ab vrbe Pragensi ad suas stantias vniuersus abiret Casarianus exercitus nullo dempto. Quo certè id accidit, vt saltem qui essent deinceps Casariani vel Bauarici milites in ciuitate Pragensi raptores (prius quicquid delinquebat coquus, tibicen, seu pro fonte insons, ex vno pro altero exercitu luebat) nemo nesciret. Ergo bonis auibus in stantia abitur ad Karlstein coronę custodiã expugnandã. Karlstein, inquis tu, est castrum Bohemiae munitissimum, in quo asseruari solebat regium diadema: cuius pro tempore Burgravius in Bohemia regem eiusque heredes (quo solo si aliud non esset, regnum Bohemiae esse hereditarium luculentissimè constat) his verbis iurare solet. Et in Iunio anni 1617. Comes de Thurn munere Burgrauij fungens, in Ferdinandum II. potentissimum ac pientissimum regem (contra quem periurus ac perfidus tot tragœdias deinde suscitauit) ipsum hoc, quod subijcio, iuramentum nuncupauit.

Iuramentum Burgrauiorum Karlsteinensium  
ab ipso Henrico Matthia Comite de Thurn  
nuncupatum.

Iuramus Domino Deo, omnibus Sanctis, Serenissimo Principi, ac Domino, Domino Ferdinando Romanorum, Vngariae, Bohemiae &c. regi &c: tanquam Bohemiae & suae Maiestatis heredibus legitimè à sua Maiestate



state prouenientibus: & omnibus dominis &c. Non ambigo, Peregrine, Catilinam illum Bohemiæ Turnium formulam hanc iurandi vsurpasse; sed aio non omnia hæc verba vsurpasse; nam eo tempore, quo in verba Ferdinandi regis Turnius iurauit, Cæsar Matthias adhuc viuebat, Romanorum Rex Ferdinandus nondum erat: quomodo ergo Turnius dixit, se iurare Ferdinando Romanorum Regi? nec potes dicere ab Turnio hoc iuramentum dictum Cæsari demum electo: nugæ; nihil iurauit, abiurauit perduellis.

N. 169. *Karlstein castrum* sexcentis Anglis præsidij causa infessum Maximilianus à Liechtenstein solo victoris exercitûs aduenientis terrore in deditonem accipit, non sine dedecore Anglico, propulsari enim vis poterat abundantia rerum iuuante.

N. 170. 171. 172. 174. Buquoius Comitem de Biglia coniugis fratrem ad Imperatorem; Baronem verò Merod de Warroux ad Archiducem Albertum victoriæ obtentæ nuncios misit: alijs quicquam significare supersedit versiculos illos tritos iactitans:

*Nec te collaudes, nec te culpaueris ipse*

*Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.*

Intelligo, Peregrine, quò collinees: quæro an Buquoius per suos hos legatos rerum suarum gestarum interpretes collaudari voluerit? si affirmas; vides in qua tribut-



bu tantum virum constituas : si negas, poterat erga ad plures eadem ratione! successum pugnae perscribere. Interest vbiq̄ue Principum Catholicorum pernosse rem catholicam bene esse administratam; interest etiam cognati sanguinis: deinde operam istam prudenter omisit Buquoius : pertinebat enim hoc officij ad supremum belliducem, Bauariae Principem.

N. 175. Silenti Buquoio in tanta laudum opportunitate gratulatur per literas summus Pontifex & rex Hispaniae; sed istud hi ipsi luculentius multo, imò pro merito summi Ducis, praestitere Serenissimo Bauaro.

N. 176. *In ipso S. Martini festo, inquit Peregrinus, tota Praga (duae partes trans fluvium vno die tardius, quam minor vrbs, se submiserunt) in regis Ferdinandi arbitrium iuravit, ingenti aceruo confederationum (statuum innumeris sigillis, iuramentisque confirmatarum) cum Silesijs, Morauis, Hungaris, Hollandis, Vnisticis, liberis ciuitatibus, Turcisque, ipsis (rescissis pari facilitate qua perfidia initis pactis) producto. Non abnuo ista facta. Sed cur tu praeteris Duci Bauariae Caesaris locum tenenti sacramentum ab Ordinibus & ciuibus Pragensibus dictum? Buquoio dixissent, si penes ipsum summa potestas fuisset.*

N. 177. Agit de fuga Palatini, & inter caetera sic finit, *Fridericus regnandi cupidus, audita suorum fuga, fugiendo vniuersos celeritate praeuertit. Nec eo contentus, gazam fere omnem, & mundum coniugis muliebrem, ipsos quoque calceos, filiorumque suorum gladiolos galeros, vestes, Indusia, imò verò ipsamet Biblia sua, & uxoris, ac vtriusque bibliothecam (in qua plures erant comædiarum quam pietatis libri)*



libri) in tanta festinatione hostibus spolia reliquit. Quem fugiendo, ut  
 Job prædixit, undique terrebant formidines, & inuoluebant pedes eius,  
 & sonitus terroris semper in auribus eius. Hæc intelligo, Pere-  
 grine, sed quæ sequuntur non intelligo. ais, *Quod enim*  
*Octavia erat surdo verberare filio Neroni &c.* Agrippinam Nero-  
 nis matrem esse adhuc arbitrabar, tu verò Neronem fi-  
 lium Octaviæ scribis. vxor ista fuit, & calce imperatoria  
 vterum, quem gestabat, percussa interijt. Omitte vete-  
 ra, erras in hodiernis.

N. 178. 179. 180. 181. Ex indice libro inter  
 alios reperto deprehendit Peregrinus, quòd cogitarit  
 Egens Palatinus expilare Bohemiæ regnum in annum  
 sequentem ad sustinenda belli onera novis vectigali-  
 bus.

N. 182. Adeò ad incitas perducti sunt perduelles,  
 ut ex opulentissimis vnus à Buquoio centum florenos  
 emendicare non erubuerit. obtinuit à liberali duce tre-  
 centos.

N. 183. Iubet Peregrinus sibi ipsis Imperij Electores  
 & Principes ob hanc victoriam gratulari.

N. 184. Agit de pasquillo quodam in Fridericum,  
 materia tanto scriptore digna.

N. 185. *Decimo sexto Nouembris, post emissum, inquit Pe-*  
*regrinus, à Statibus Bohemia iuramentum & solenniter cantatum*  
*Te Deum, magnus Bauaria Dux Maximilianus, substituto Principe à*

N

Liech-



Liechtenstein Generali Imperatoris Commissario, relictoque exercitu Ba-  
varico ad Bohemiam in officio continendam, plenus gloria coram Deo  
& hominibus, saepius salutans ac resalutans per se ac suos Buquoium,  
sui desiderio cunctis probis relicto, remeavit in Bavariam.

Nihil hîc induco, Peregrine, nisi prima verba &  
pro decimo sexto die, substituo decimum septimum; &  
quia tu literas Serenissimi Ducis commendatitias ad Im-  
peratorem compendio adfers placet & huc transcribere.  
Ad S. C. Maiestatem, inquis, in laudem Buquoij Nouembris 20. scri-  
psit in hunc sensum.

Non ignota S. Cas: Maiestati, sed dudum comperta, ac pluri-  
ma esse Buquoij bene merita. Se vidisse eum quamdiu simul essent in  
bellica expeditione nullis laboribus, aut periculis parcere in promouendo  
S. C. Majestatis seruitio; adeoque non potuisse se minus facere, quam  
hoc testimonium fidei ac diligentiae ipsius perhibere, simulque cum omni  
humilitate S. C. Maiestati supplicare, ut ei favere semper pergat, eo  
magis quod nunc affatim haberet, quod ei conferre posset. Exemplar  
verò harum literarum ad Buquoium misit in sui erga eum singularis affe-  
ctus testimonium; quo etiam constaret, quanto desiderio teneretur, ut  
sibi ac sumptibus consueta hospitalitatis, quod sufficere posset, Buquoius  
se procurante haberet.

Lege & relege has literas, easque cum ijs con-  
fer, quas Buquoius de obtenta victoria ad Cæsarem de-  
dit: nulla in ijs Bauarici herois laus, nullus fauor, nulla  
mentio.

N. 186. Monachium vigesimo septimo Nouemb. sanus sospesque,  
sed clam præ incomparabili animi qua est modestia, Bauarus intravit.  
Quaecunque illi erant preparata triumphalia vetuit erigi, & quae erecta  
erant



erant repente tolli, in solum Deum largitorem omnium bonorum, quicquid praeclare factum esset referens. Supra diem omisisti, hinc ne quis te sordidum dicat, duos adijcis: nam Serenissimus 25. Catharinae Virgini sacro Monachium appulit.

N. 187. Die quo Bauarus Praga abiit, inualetudo Buquoij auxit, & quidem cum vitae periculo, quod suam vitam multi militum optarent redemptum. Sed audiamus praecipuum Buquoiani morbi incrementum ex ipso Peregrino. *Malum*, inquit, mihi videbatur augeri magnanimitatis hominis morbum suppressus internus dolor, veniebatque mihi in mentem Agrippa, qui teste Xiphilino dicere solebat, Principum esse morem, nullum sibi ferre parem, eosque per se suscipere bella, quae facilem habitura essent victoriam, alijs vero committere pessima quaque ac difficilissima. Sibi que tamen imputare omnem laudem ac gloriam ab eis acquisitam. Quod voluit Lucanus dicens: *Nulla fides regni socys, omnisque potestas Impatiens consortis erat.*

Si nullo alio argumento nossem, Peregrine, te desipere, isto solo & vno ad hanc opinionem adducerem, an invidia alienae laudis pectus Buquoij oppressit? Quid dicis Peregrine? ecquid gloria illum tam alte fodicauit? sine dubio Bauari; qui tanto maior fuit, quo is generosius contendit ad praelium committendum, tergiuersante Buquoio. Sed quando is parem non tulit? Buquoius neque genere, neque potestate Bauaro Duci par fuit. Quod vero bellum per se suscepit Bauarus, quod facilem habuit victoriam? an Bohemicum? ecquid ergo duos



ab hinc annos Buquoius valentissimo cum exercitu bellum non confecit in tanta facilitate victoriae? Quid superioris anni aestatem triuit in Austria, & hostem occupare imperatorias terras impunè sustinuit? si facilis victoria fuit, damnandus otiosè residentis torpor fuit, Peregrine. At pessima quæque imo & difficillima à Principe Buquoio commissa fuisse nunquam ostendes: demisit ubique fastigium Princeps & propè infra personam suam humanus fuit; nisi tu ab eo peccatum existimes, quod pacatâ Praga Buquoium in Morauiam proficisci, & reliquias belli persequi mandarit. Hem istane difficillima sint imperia post fractos prælio hostes & terras ipsas pauore exanimatas? Ipse tu postmodum referes mox ad famam aduentantis Buquoij præstò fuisse prouinciæ legatos, qui se suæque potestati Imperatoris subiicerent. Tantæ molis erat Morauiam subiugare. Contumelia verò est, quod Bauarus imputarit sibi laudem ac gloriam ab alijs acquisitam: propriam obtinuit, qua si fruitur, nemo nisi malignus vitio vertet. Quid gloriæ per Buquoium acquisiuisset? obstitit tamen gloriæ materiæ, cum prælium noluit.

Sed peccata tua cætera, Peregrine, condonari possent; inexpressibile postremum est, quod ex Lucano committis: *Nulla fides regni socijs*. Socij (vti tu tibi fingis, Princeps enim socium non habuit) fuere in hac bellica expeditione



peditione Princeps & Buquoius; ergo nulla fides & huic & illi; vel certe huic, vel illi. elige quod malis; in neutro præcipitem linguam piabis: nimirum perfidia summa laus est, qua aut Principem aut Buquoium exornas.

N. 188. *Multis enim videbatur importunè in Moraviam ad novum bellum urgeri Buquoius tam graui morbo oppressus, cum frigidus ab intentissimo gelu ac niuibus horror membra omnium quateret. Hoc vulnus est, Peregrine, quod doluit, importunè in Moraviam urgebatur Buquoius æger: quasi verò ad ægri lectum etiam sessitandum fuisset militi. Mittere cum legato copias poterat & debebat, ne spacio respirandi hostibus dato in consilia rursus coirent, & arma repararent.*

N. 189. Laudat Peregrinus in tanta prædæ opportunitate abstinentiam & animi religionem Buquoij.

N. 190. 191. 192. Pragâ Buquoius mouet, & Moraviam petit.

N. 193. *Per Daixbrodium, inquit Peregrinus, Iglaviam, vulgò Triglav, in Moravia, decimo sexto Decembris aduenit. In quem locum statim accesserunt Moravorum legati, quicquid ipse mandaret impleturum.*

N. 194. Messeritij Natalem Seruatoris nostri agit, & ereptum Catholicis templum restituit.

N. 195. Eybecthizij milites & tormenta inuijs vijs impedita expectat, bellicis consilijs intentus.

Finio hîc tecum expeditionem Bohemicam Peregrine, nam alia quæ insequuntur talia sunt, vt Buquoio tuo



nullum rivalem extimescere habeas; summus enim inter  
 suos esse rursus coepit, cum à Bauaro secessit: neq; mihi  
 vnquam lubido fuit virum incessendi, accusare aliquan-  
 do debui, quia tu Principem meum accusabas, & milita-  
 rium peccatorum culpas in hunc, gloriæ splendorem in  
 illum transferebas. Nec mihi Buquoius, si ritè cum no-  
 ui, succensere poterit; succenseat illi, qui impotentis lin-  
 guæ procacitate alios laceffuit, vt loquerentur. Senex di-  
 ceris, & doctus Peregrine, sed nec dum didicere cani tui  
 non esse cum Principibus verborum insolentiâ bellandû,  
 multò minus contumelijs aut iniurijs; non ferunt, non  
 patiuntur, & licet foro subinde seruiant, premantq; imo  
 corde quod sentiunt, manet tamen irrequietus fomes,  
 qui cum occasione flamas agit in perniciem eius, qui ma-  
 teriem ministravit. Antequam scriptioni te dares, pensitan-  
 dum tibi erat, quid operis susciperes? quid periculi a-  
 dires? cuius disceptatoris partes susciperes: Demus enim  
 (nequaquam alioquin damus) non iniuriâ Buquoiû con-  
 tendere de gloriæ principatu cum Bauaro, & litem omnium  
 sermonibus feruere dubiam, tantine tu apud teipsum, e-  
 ras, vt iudicem teipsum nominares, & tantam inuidiæ  
 molem tuis humeris librandam suscipere auderes? Ab al-  
 tero certè parùm emolumenti, ab altero multùm pericu-  
 li imminebat; sed tu prætulisti offam, offensam pro nihi-  
 lo subiturus, sine mente, sine iudicio; sed & frustra, nam

Bauari



Bauari Ducis egregiè facta in laude & luce versantur æternâ: Nullæ obtrectantium nebulæ, nullæ liuoris nubes illa vnquam obtegent. Agnoscit ipse Cæsar fidissimâ & fortissimam Bauari dextram, agnoscit Austria Domus cognato ferro defensa, agnoscit omnis orbis Catholicus, cui Caluinianorum Acherontica versutia exilium minabatur, & verò etiam inferebat; sed tragœdiæ cursum intercîdit Boicus Heros MAXIMILIANVS Princeps, qui de se iure merito dicere potest

Super alta perennis

Astra ferar, noménq; erit indelebile nostrum,  
 Quâq; patet domitis Romana potentia terris  
 Ore legar populi, pérque omnia sæcula famâ,  
 Siquid habent veri vatum præfagia, viuam.

Sed de tuo libro Peregrine quæ auguria? non ignoras certè ipse quid stilo merueris: *Forſan*, (ais, postrema tua verba sunt) *remunerandus vt alter Marulus Calaber, cuius poëma Attila concremauit, quòd Regium Hunnorum genus ad Deos retulisset.* Iusta tua de tuo libro sententia, nec intercedo; nam librũ tuum emendare nemo potest, præter Mulciberũ. Nimiũ atrum censorem dices; non nego, sed neque candidus scriptor fuit, qui Candidi nomen mutauit.

E R R A T A.

Pag. 2. v. 20. Lege, præsens non caligãrit. p. 23. v. 23. l. Patrasset. p. 45. v. 16. l. qua.  
 p. 47. v. 14. l. tantus non erit. p. 86. v. 6. l. Magnatum.

F I N I S.

nc



Ms. 3849

He





ULB Halle

3

004 800 389



V347









fide scri  
quod res  
quod Pe  
spondere  
innocent



da mi-  
egrino  
ipfius  
enfere  
oalam  
tiqua  
gere,  
m est  
ui re-  
minis  
per-  
strin-

